

castigandum : nam ut ait Statius III *Thebaid.* :

Invigilant animo, scelerisque patenti
Supplicium exerceat cura, tunc pluvina versat
Pessimus in dubis arbor liquor.

19 et 20. OMNIS ENIM ORBIS TERRARUM LIMPIDO ILLUMINABATUR LUMINE, ET NON IMPEDITIS OPERIBUS CONTINEBATUR. SOLIS AUTEM ILLIS SUPERPOSITA ERAT GRAVIS NOX, IMAGO TENEBRARUM. QUE SUPERVENTURA ILLIS ERAT. IPSI ERGO SIBI ERANT GRAVIORES TENEBRIS, — q. d. Totus reliquus orbis claro solis resplendebat lumine, cum in sola *Egypto* densissima essent tenebræ, imo in ipsa *Egypto* apud Hebræos splendida erat lux, ut dicit *cap. xviii*, 1. Sic et plaga septima, quæ fuit grandinis, et quinta, quæ fuit pestis, de cæteris omnes solos tetigere *Egyptios*, nullos autem Hebræos, ut patet *Exod. ix*, 4 et 26: idem testatur Philo et Iosephus. Pro *limpido* græce est, *καθαρόν*, id est splendido, nitido, fulgido. Ex diebus liquet non recte Jansenium ex *omni orbis* colligere, etiam totam *Egyptum* luce solis fuisse illustratam, sed eam non vidisse *Egyptios*, eo quod oculi eorum essent obereati : nam a toto orbe nox excipit *Egyptios*, dicens : « Solis autem illis superposita erat gravis nox. » Adde, hæc tenebræ fuere palpabiles, ut dicitur *Exod. x*, 21; non ergo consistebant in oculis *Egyptiorum*, nec in sola subtractione concursus Dei, quæ luci subtraheret suam cooperationem ad illuminandum *Egyptios*, sed insuper erant crassa caligo, vapor et nebula a Deo inducta, ut dixi *Exod. x*, 22.

ET NON IMPEDITIS OPERIBUS CONTINEBATUR, — id est distinebatur, occupabatur, q. d. Incole totius orbis in luce degebant, seque in suis officiis et operibus late continebant et occupabant : nil enim erat, quod opera eorum impediret, cum tenebræ impedirent *Egyptios*, ne quid operari possent; unde Vatablus veritè, et expeditis frequentis erat operibus, q. d. Reliqui omnes erant in luce, ideoque negotiosi; soli *Egyptii* erant in tenebris, ideoque otiosi.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ferit componere, opponere et præponere Hebræos Dei cultores *Egyptii* idololatris, primo, vers. 1, quod in densis *Egyptiorum* tenebris Hebræis lux esset clarissima. Secundo, vers. 3, quod Hebræi ducem viam a Deo acciperint columnam nubis per diem et ignis per noctem; *Egyptii* vero sine duce meri sint in Mari Rubro. Tertio, vers. 6, quod cæcis ab angelo *Egyptiorum* principum, Hebræi nil passi sint. Quarto, vers. 20, quod cum ob supplicium Coræ Deus immississet iram in populum, per glorificationem et deprecationem Aaronis placari se permisisset, plagamque stiterit, cum *Egyptiis* fuerit implacabilis, eosque variis plagis per Moysen attriverit, et tandem Pharaonem cum omnibus associis in mari suffocavit.

1. Sanctis autem tuis maxima erat lux, et horum quidem vocem audiebant, sed flamam non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant, magnificabant te : 2. et qui ante

læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant : et ut esset differentia, donum petebant. 3. Propter quod ignis ardentem columnam ducem haberunt ignota via, et solem sine læsura boni hospitii præstitisti. 4. Digni quidem illi carere luce, et pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari. 5. Cum cogitarent justorum occidere infantes : et uno exposito filio, et liberato, in traditionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, et pariter illos perdidisti in aqua valida. 6. Illa enim nox autem cognita est a patribus nostris, ut vere scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent. 7. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio. 8. Sicut enim læsisti adversarios : sic et nos provocans magnificasti. 9. Absconse enim sacrificabant justis pueri honorum, et justitiæ legem in concordia disposuerunt : similiter et bona et mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes. 10. Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur pluctus ploratorum infantium. 11. Simili autem pena servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus. 12. Similiter ergo omnes uno nomine mortis, mortuos habebat innumerabiles. Nec enim ad splendidiuam viri sufficiebant : quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est. 13. De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc vero primum cum fuit exterminium primogenitorum, sponderunt populum Dei esse. 14. Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, 15. omnipotens sermo tuus de celo a regalibus sedibus, durus debellator in medium exterminii terram proslivit, 16. gladius acutus insinulatim imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad celum attingebat stans in terra. 17. Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati. 18. Et alius alibi projectus semivivus, properat quam moriebatur, causam demonstrabat mortis. 19. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii, quare mala patiebantur, perirent. 20. Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis : sed non diu permansit ira tua. 21. Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus. 22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subiecit, juramenta parentum, et testamentum commemorans. 23. Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, et amputavit impetum, et divisit illam, quæ ad vivos ducebat, viam. 24. In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum : et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. 25. His autem cessit qui exterminabat, et hæc extinxit : erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

4. SANCTIS AUTEM TUIS MAXIMA ERAT LUX, ET HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT, SED FIGURAM NON VIDEBANT : ET QUIA NON ET IPSI EADEM PASSI ERANT, MAGNIFICABANT TE. — Sanctos vocat Hebræos, quia fideles ad sanctum sancti Dei cultum, ipsamque ancillitiam a Deo vocati erant, eique quasi ad dei et consecrati, juxta illud *Psal.* ciii, 2 : « Facta est ludæa sanctificatio ejus, israel potestas ejus. » Maxima erat lux, non quod major naturalis foret et miraculosa, sed maxima, comparatione *Egyptiorum*, qui in densis erant tenebris, quodque Deus, dissipatis omnibus nebulis et nubibus, clarissimos solis radios Hebræis exhibue-

rit. Adde, Hebræis ob disparitatem hanc exsultantibus lucem hanc fuisse maximam, sicut curi hinc per Esther, cap. vii, vers. 16, a morte liberati sunt, ipsis « nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium : » vide dicta *Exod. x*, 23. Fuere ergo Hebræi tui cultores filii lucis, *Egyptii* vero idololatras filii tenebrarum.

ET HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT : — addunt nonnulli *imities*, sed id delent Romani et Græci : verisimile enim est ex commento nonnullorum in textum irrepisisse, multi enim hæc referunt ad *Egyptios*, q. d. *Horum*, scilicet Hebræorum in luce exsultantium, vocem jubilationis audiebant eo-

rum *inimici*, scilicet *Ægyptii*, sed ob tenebras, quibus involuti erant, eorum figuram non videbant: quare eos, quia non et ipsi eadem, puta eandem tenebras, spectra et terrores passi erant quas *Ægyptii* patiebantur, magnificabant te, græce *beatificabant*, id est beatos prædicabant: ita S. Bonaventura, Dionysius, Cantacuzenus et alii. Alii tamen æque apposite hæc referunt ad Hebræos, q. d. *Horum*, scilicet *Ægyptiorum*, in tenebris flebilem vocem, gemitus et suspiria audiebant Hebræi; sed eorum figuram ob caliginis densitatem non videbant: quocirca se beatos prædicabant, et magnificabant te, Domine, eo quod tenebras non paterentur, quas patiebantur *Ægyptii*. Uterque sensus verus est et appositus; secundus tamen magis respondet Vulgate, que habet, *magnificabant te*: Hebræi enim exultantes magnificabant Deum, cum *Ægyptii* suas erumnas miserime deplorarent. Vaticanus codex legit affirmative, *gloriam quidem et ipsi*, scilicet *Ægyptii*, *passi erant*. Complutenses vero et Vulgata nervosius legunt negative, *quia non et ipsi*, scilicet Hebræi, *eandem passi erant*, que *Ægyptii*. Pro *magnificabant te*, græce est, *ἁγιασάντων*, id est *beatificabant*, id est beatum prædicabant, tum Israel, tum ejus ductorem Deum. Beneditio enim Dei in eo sita est, quod ipse ita afflavit bonorum omnium copia, ut eandem in creaturas, præsertim homines, et angelos effundat, nihilque ab eis recipere valeat; quod si- gnificat hebraice Dei nomen *Saddai*, id est *sufficiens*, copia, abundantia: hoc est quod ait *Psalmes*, *Psalm. xv, 1*: « Dixi Domino: Deus meus est, quoniam bonorum meorum non egesset; » hinc « beatus est magis dare, quam accipere: » dare enim est Dei abundantis, accipere vero est hominum indigentium, *Actor. ix, 35*. Vide ibi dicta.

2. ET QUI ANTE LESI FUERANT, QUIA NON LEDERANTUR, GRATIAS AGEbant: ET UT ESSET DIFFERENTIA, BONUM PETEBANT. — Rursum nonnulli ad Hebræos, alii ad *Ægyptios* hæc referunt; græce enim est, *et quia ante lesi non nocent*, gratias agebant, q. d. *Ægyptii* gratias agebant Hebræis, quod se in tenebris positos non læserant, cum ab his ante fuis- sent lesi et oppressi; unde Vatablus vertit, *quod autem injuria læcessit non læderent*, gratias age- bant ipsi, et inimicitiarum veniam rogabant: pote- rant enim Hebræi *Ægyptiis* in tenebris quasi col- ligatis talionem rependere, et injurias suas ul- cisci, eosque vexare et cruciare, si voluissent. Verum Vulgata exigit hoc accipi de Hebræis, q. d. Hebræi, qui ante lesi erant ab *Ægyptiis*, dum viderent se tenebris et plagis *Ægyptiorum* non tangi, nec lædi, adeoque ab ipsis *Ægyptiis* am- plius lædi non posse, gratias agebant Deo; et hoc significat græcum, *quia non nocent*, id est quia *Ægyptii* Hebræis amplius nocere non poterant. Et ut esset differentia donum petebant, q. d. Hebræi petebant a Deo, ut hoc discrimen differ- entis providentiæ, puta castigationis *Ægyptio- rum* et servationis Hebræorum continuaret, ac

perpetuum faceret, scilicet ut plage, quæ tangen- tibus *Ægyptios*, non tangerent Hebræos; hoc est quod ait Moyses, *Exod. xi, 7*: « Ut sciat quod miraculo dividat Dominus *Ægyptios* ab Israel. »

Porro S. Bonaventura, Lyranus, Hugo et Dionysius sic legunt, *ut esset differentia donum, te Deum* (Holcot te Dominum) *donum petebant*: græce pro differentia est, *ἁγιασάντων*, id est *differenti*, quod Vatablus et Nannius accipiunt pro *dissidenti*, unde vulgo differentias unius ab altero vocamus *dissidia*; hinc vertit, *inimicitiarum gratiam vel veniam rogabant*, *ἁγία* enim et *donum* et *gratiam* significat; vel ad verbum, ut recte ait noster a Castro, et quod *inimicitii essent*, sive quod se *inimice* erga ipsos gessissent, aut *differentias*, hoc est contentiones et inimicitias contra ipsos exercuis- sent, *gratiam orabant*, puta petebant, ne ipsos Is- raelitæ ut inimicos tractarent, ut possent: note- bant enim Israelitæ habere inimicos, quos me- tuebant. Videbant illos habere summam ulci- cendi facultatem, deest tantum voluntas, qua in animo offenso atque inimico inest. Ideo pro- postulabant hanc gratiam ab illis, ne inimicere- tur, ne scilicet inimicitias ad ipsos exerce- rent, quod dixit Vulgatus, *ut esset differentia*, hoc est, ut longius secederent, et a seipsis discederent, pos- tulabant: sæpe enim plagis affecti, et calamita- tibus propter eos afflicti, eos abire compellebant; unde *Exod. x, 7*: « Dixerunt servi Pharaonis ad eum: Usquequo patiemur hoc scandalum? dimittite homines, ut sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides quod perierit *Ægyptus*? » et cap. *xii, vers. 33*: « Urgebant *Ægyptii* populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriantur. » Hæc a Castro, qui hisce verbis tertium innotuit sen- sum, quod *differentia* sumitur pro *disstantia* et dis- cesso: *Ægyptii* enim petebant ut Hebræi, propter quos tot plagis a Moysæ affliciebantur, a Pharaone dimitterentur, itaque *Ægypto* egredierentur, ac loco a se differrent et distarent, ne quid amplius ab eis paterentur; verum prior sensus planior est et plenior.

3. PROPTER QUOD IGNIS ARDENTEM COLUMNAM DUCERE HABUERUNT IGNOTÆ VIE, ET SOLEM SINE LESURA BONI HOSPITII PRESTITISTI. — Vatablus, quippe tu columnam igneam iteris ignoti ducem, et ad magnificam peregrinationem solem innocuum his exhibuisti. Pro propter quod, græce est, *ἕνεκα*, id est propter quod, vel pro quibus, quod primo, Vatablus opponit quippe vel propterea quod: Rationem reddidit, inquit, cur lux ampla suppeteret sanctis, quia scilicet lux hæc fuit columna ignis lucidissima, quæ noctu tota Hebræorum castra illuminabat: verum lux illa ampla vel maxima, de qua vers. 1, fuit tempore tenebrarum triduanarum *Ægyptii*, sine enim opponitur; columna ignis autem data fuit Hebræis post egressum ex *Ægypto*, quare lux illa maxima nequit esse columna ignis. *Secundo* et genuine, *ἕνεκα* propter quod referas ad id quod proxime præcessit, et ut esset differentia,

donum petebant, q. d. Quia Hebræi luce maxima differabant, et præcelebant *Ægyptios* in densa caligine positos, petebantque hanc differentiam et præcellentiam sibi Dei dono continuari et perpetuari, propter hoc Deus proces eorum exaudiens, contulit eis hanc lucis statusque differ- entiam, dando eis columnam ignis lucidissimam, quæ Hebræis noctu lucem clarissimam præberet, quando *Ægyptii* nocturnis obvolvebantur tenebris; et sic columna hæc ignis tenebris *Ægypti* per quamdam prorogationem continuando opponitur. Tertio, noster a Castro, tertiam differentiam explicationi paulo ante datæ insistens: Quia *Ægyptii*, inquit, postulabant Israelitæ abire, et longe a se recedere constricti angustia plaga- rum, quibus affliciebantur, propterea tu, o Domine, eduxisti eos de *Ægypto*, et itineris ducem te præbisti pro columnam ignis et nobis. Quarto, idem *ἕνεκα*, id est pro quibus, refert ad Hebræos, pro quibus, o Domine, ducendis tendisque illa itineris adjuncta præbisti, que referuntur *Exod. xii, 21*, illis verbis: « Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. » Quinto, noster Lorinus, propter quod, quia scilicet Hebræi lesi noluerunt se vindicare, ac lædere *Ægyptios*; aut quia Deo grati gratias agebant gratias: Premium, inquit, hoc fuisse scribitur, sive benignitatis Hebræorum se, cum possent, non ulciscerentur de *Ægyptiis*, quos oppresserant tenebræ; sive potius grati adversus Deum animi: solet enim gratas animus benefactorem ad nova conferenda beneficia provocare. Simile fuit, cap. x, vers. 20, cum post famem *Ægypti* subjungitur antithesis: « Pro quibus angelorum esca nutritivi populum tuum. »

IGNIS ARDENTEM COLUMNAM DUCERE HABUERUNT. — Pro ignis ardentem græce est una vox, *ἄρδεντες*, id est *ignardentem*, ignitam, igniflammam, quia speciem habebat flammæ, ut frigus noctis dispelleret suo calore, sed ita moderato, ut Hebræos non ureret: addè *ardentem*, per calachresin idem esse, quod splendens, fulgurantem instar ignis: sic vocamus castra *ardentia*, id est fulgura; et Virgilius, *IV Æneid.*:

Ardentem (id est splendens) murice labam.

HABUERUNT: hæc vox non est in græco, ubi *ἕνεκα* columnam, cæterique accusativi pendunt et reguntur a verbo *prestitisti*, sed in hoc verbo intelligitur *ἕνεκα* habuerunt; unde Noster claritatis causa id expressit.

SOLEM SINE LESURA, — id est non lædentem, non urentem: græce *ἄλαστα*, id est *innocuum*, ita vocat columnam ignis per appositionem, q. d. Columna ignis, que Hebræorum dux iter eis præbit in deserto, noctu clarissima luce totis Hebræorum castris præfulgebatur, adeo ut videre-

tur esse sol quidam nocturnus solisque jubar, ita tamen ut Hebræos non torreret, nec læderet: sol inquam boni hospitii, græce *ἁγιασάντων*, id est *honorifica peregrinationis*, magnifici pretio- sique hospitii, quia scilicet columna hæc quasi sidus cælestis, magnifice Hebræis prælucebat ad peregrinationem continuam in Terram Promis- sam, ac bona hospitia, id est commodas stationes in deserto per 40 annos eis indicabat. Insu- per eos per diem velut hospitii tectum, nube sua tegebat contra solis æstum: nam columnæ dux, præses, auriga et motor erat angelus, qui colum- næ ignem illa noctu attenuabat, ut Hebræos illuminaret, non vero ureret, ac per diem colum- næ nubem ita dilatabat, ut tota Hebræorum castra operiret, eaque ab æstu solis velut umbra- culum supernæ protegeret. Hinc vocatur *columna nubis* per diem, quod per noctem, quia per diem erat opaca ut nubes, per noctem splendida ut ignis. Ipsa ergo erat, quasi sol magnifici peregrinatio- nis, id est lux et dux magnifici exercitus. Hebræo- rum peregrinatio in Terram Sanctam: hic enim exercitus incedebat quasi caes cælestis ordina- tissima, et quasi tota ecclesia Israelis militans Deo, ideoque invicta, cui nil resistere poterat, quin omnia sibi subigeret; nam Deus per angu- lum columnæ præsidem eam ducebat, regabat, tegebat, ac pro ea pugnavat.

Alludat ad solem, qui uti temporum et tempe- ratum, sic et locorum ac hospitiorum, commodorum vel incommodorum dat signa, imo velut causa illa ipsa efficit. Nam cum sol mutatur in vultu suo colorem, mutat et temporum locorumque sortes, ut ait Virgilius, *I Georg.*:

Carulens pluviam denuntiat, igneus euros.
Sic macula incipit rutilo lamisceret igni,
Omnia tunc pariter vento nimbusque videtis
Fervere.

Et post pauca:

At si, cum referretque diem, condetque relatum.
Lucidus orbis erit, frustra quis dicere falsum.
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Anxios? Ille etiam cæcos iudare tumultus
Sæpe monet. fraudemque et aperta tumultuere bella.
Ille etiam exsiccato miseratis Cesare Roanæ,
Cum caput obscura militum ferrugine textit,
Impaque æternam tumeret sæcula noctem.

Et Claudianus in *Infula*.

Sol, qui flammiferis mædum complexus habentis,
Votis læsthausto redemptus sæcula motu,
Sparge diem meliore coana.

Hinc læta sunt hospitia, ubi lucidi sunt soles; tristitia et mæsta, ubi obscuri et nubili: sol enim luce sua locis omnibus lætitiæ et vitam aspirat. Allegorice, simili modo stella duccens Magos ad Christum, fuit eis et gentibus hoc magnifice peregrinationis; unde de ea canit Prudentius:

Stella, que solis rotam vincit decore et lumine.

Tropologiae, talis pariter est fides, ac illustratio et vocatio Spiritus Sancti, qua hunc ad martyrium, illum ad religionem, istum ad sacerdotium, etc., vocat et impellit: vido dicta Exod. XIII. et Numer. vi. 14 et seq.

4. DIGNI QUIDEM ILLI CARERE LUCE, ET PATI CEREREM TENEBRARUM, QUI INCLUSOS CUSTODIEBANT FILIOS TUOS, PER QUOS INCIPIEBAT INCORRUPTUM LEGIS LUMEN SECCULO DARI. — Pro *incipiebat dari*, graece est, *ἤρξατο δίδωμι*, id est *dandum erat*; Vatablus, *prodendum erat*; alii, *debebat dari*; alii, *per quos integritatem legis tamen orbi erat imperitendum*: Hebraeis enim a Deo data est lex et vera Dei religio in Sina, Exod. XIX. 20, quae deinde ab eis toti orbi communicata est. Sensus est, q. d. Juste et congrue Aegyptii puniti sunt densis tenebris, eo quod ipsi israelitas, per quos lux legis divinae toto orbi spargenda erat, captivos detinerent, itaque simul ipsam quasi lucem legis in carcerare, obscurare et extinguere conarentur; quocirca ob extinctum, quoad ipsi licuit, duplex lumen; primo scilicet *externum*, id Hebraeis eripendum; secundo, *internum*, verè religionis cognitionem respicendo; duplici caligine puniti sunt, materiali scilicet in corpore, et spirituali in mente. Legem *incorruptam* vocat, *primo*, quia integra est, iusta, pura, sancta, immaculata, convertens animas Psalm. XVIII. 8; *secundo*, quia nunquam corrumpitur, vel aboletur, sed semper durat vel in se vel in suo antitypo, quod representat, lex enim vetus ceremonialis durat in Christi mysteriis et sacramentis legis novae, quae per veteris caeremonias fuerunt significatae et adumbrate; *tertio*, quia sui observatores ducit ad vitam incorruptibilem et felicitatem eternam.

5. CUM COGITARENT JUSTOREM OCCIDERE INFANTES, ET UNO EXPOSITO FILIO, ET LIBRATO, IN TRADITIONE ILLORUM, MULTITUDINEM FILIORUM ABSTULISTI, ET PARITER ILLOS PERDIDISTI IN AQUA VALIDA. — Graeco, cum decreverint autem ipsos sanctorum occidere infantes, unumque expositum, tu multitudinem liberorum abstulisti illos, aquarumque ei simul omnes perdidisti. Pro in *traditionem*, graece est, *ἐπιθεσις*, id est, in *corruptionem*, redargutionem, castigationem: sensus est, q. d. Cum Pharaeo et Aegyptii consilium cepissent Hebraeorum infantes, puta masculos omnes mergere in Nilo, unus ex eis a matre expositus a Deo servatus est, puta Moyses, qui Aegyptiorum tyrannidem castigaret, ac vicissim eos multitudine filiorum privaret, occidendo primogenitos eorum, ac deinde omnes, qui Hebraeos persequerentur, margeret in Mari Rubro. Congrua enim fuit haec telionis poena, ut qui Israelen primogenitum Dei populum afflixerant, primogenitis suis mulcerentur; et qui infantes Hebraeorum merserant in Nilo, ipsi pariter mergerentur in mari Rubro. Vide dicta Exod. I et II. Ita Cantabuzenus, Vatablus, Jansenius et alii. Quare perperam nonnulli ve-

teres graece lingua imperiti, per *traditionem* accipiunt educationem Hebraeorum ex Aegypto.

6. ILLA ENIM NOX ANTE COGNITA EST A PATRIBUS NOSTRIS, UT VERE (graeco, *ἀγλαία*, id est *securae et certo*) SCIENTIS QUIBUS JURAMENTIS CREDIDERUNT, ANIMAEQUIORES ESSENT; — graeco, *ἠδονήσιον*, id est *letarentur*, hilarescerent, animosiores et fidentiores fierent; sensus ergo est, q. d. Nox illa paschalis, qua ab angelo percutiente occisa sunt omnia primogenita Aegyptiorum, tam in hominibus quam in animalibus, praevisa et praedicta fuit, tum a Moysse Exod. IV. 22, et claris cap. XI. vers. 5, tum quoad rem, puta quoad stragem Aegyptiorum et liberationem Hebraeorum, licet non quoad modum et tempus nocis praecognita, et a Deo cum juramento promissa fuit Abraham. Genes. XVIII. 14 et sequent.; et Isaac, Genes. XXVI. 3; et Jacob, Genes. XXVIII. 13 et sequent. hinc hoc fine, ut Hebraei videntes haec Dei promissa impleri, ei plane crederent et confidissent, ac in eo, ejusque singulari providentia laeti et securi acquiescerent, non dubitantes, quia Deus simili modo ipsis caetera sua promissa opere completeret, ac reipsa daret illis terram Chanaan sequendam lacte et melle manantem, qui erat scopus promissionum Dei, et terminus peregrinationum Hebraeorum.

7. SUSCEPTA EST AUTEM A POPOLO TUO SANTIAS QUIDEM JUSTOREM, INJUSTORUM AUTEM EXTERNATIONEM. — Graeco, *suscepta est autem a populo tuo, sanctas quidem justorum, hostium vero exteritio*: explicat *et animaequiores essent*, vel, ut graeco est, *letarentur*, q. d. Populus tuus vidit, et cum gaudio excepit salutem justorum, id est suorum primogenitorum, quos salvasti et illosos custodisti ab angelo percutiente, ac simul vidit interitum injustorum, id est, primogenitorum Aegyptii infidelium, quos idem angelus nocte paschali morti percussit. Unde Vatablus vertit, *populusque tuus et salutem justorum vidit, et hostium interitum*: magnum enim et duplex, imo triplex fuit Hebraeorum hic gaudium, *primum*, quod se viderent illosos a plaga; *secundum*, quod viderent hostes suos Aegyptios eadem laedi et occidi; *tertium*, quod viderent eos occidi propter se, ut videlicet haec plaga percussit vicique cederent Moysi et Deo, ac Hebraeos liberos ex Aegypto abire permittent, ut reipsa permiserunt. Sic in Scriptura crebro legitur, quod quoties Deus populum suum ab hostibus liberavit, id fecerit cum hostium ultione et pernicie, ut hac ratione amorem curamque paternam erga populum suum ostenderet, eiusque gaudium, hostibus vero merorem duplicaret et triplicaret: ultio enim hostium oriebatur ex amore amicum et filiorum, puta Hebraeorum. Id videtur est passim in libris Iudicum, Regum, Machabaeorum caeterisque historicis. Paulo aliter explicat noster Loringus, q. d. Conceptit populus spem ex illis iurjurando firmatis divinis promissis fore, ut consequeretur quidem

ipso salutem, adversarii vero interitum; vel reipsa postea deprehenderunt veritatem promissorum, licet aliquando addubitalassent.

8. SICUT ENIM LESISTI ADVERSARIOS: SIC ET NOS PROVOCANS MAGNIFICASTI. — Idem dicit et exagereat. Pro *provocans*, graeco est *ἐπιμαρτυρῶν*, id est *advocans, convocans, provocans, sollicit Deum per Moysen Hebraeos ad sui cultum et amorem*, Exod. XII. Pro *sic* Noster legit, *ὅτι*, jam legitur, *ὅτι*, id est *eo*. Pro *lesisti*, graeco est *ἐταπεινώσας*, id est *castigasti*, punivisti, vindicasti injuriam populo tuo, ideoque tibi ab Aegyptiis illatam, q. d. Sicut castigasti Aegyptios populo tuo, ideoque honori tuo injurios; sic vice versa eadem castigatione provocans et convocans Hebraeos ad tui cultum magnificasti, id est, magna gloria illustrasti, cum eos victis Aegyptiis gloriose per tot signa et portenta ex Aegypto armatos eduxisti, et triumphantes in Chanaan induxisti. Unde ex graeco legendo *ὅτι*, et *ὅτι*, id est *sicut*, accipiuntur pro *cum*, sic veritas cum Vatablo, *cum enim inimicos nostros ultus es, tu nos convocans gloria illustrasti*; et significantius cum nostro a Castro, *cum enim punivisti adversarios, eo vel ea in re nos vocatos gloria affectis*, hoc est, cum supplicium suspensis de inimicis, ea re nos gloria et honore affectis: nam in ea quidem ultione et amor Dei erga suos, et honos, quem illis habet, perspicitur. Castigatio ergo et depressio inimicorum, est amicum exaltatio et glorificatio: ideo enim Deus castigat infideles, ut fideles suos exaltet et magnificet.

9. ABSCONSE ENIM SACRIFICABANT JUSTI PUERI BONORUM, ET JUSTITIAE LEGEM IN CONCORDIA DISPOSUERUNT: SIMILITER ET BONA ET MALA RECEPTOS JUSTOS, PATRUM JAM DECANTANTES LAUDES. — Graeco, *occulte enim sacrificabant sancti pueri bonorum, ac divinitatis legem in concordia disposerunt: eorum pariter et bonorum et periculorum participes futuros justos, patrum jam praevinentes laudes*. Explicat *et provocans magnificasti*, q. d. Cum nos ad tui cultum per Moysen in nocte paschali vocares et provocares, ut nos magnificares et exaltares, nos Moysi tibi que obediens, vocationem et provocationem tunc secuti sumus: nam juxta tuum Moysisque jussum absconse, id est clanculum, ob metum Aegyptiorum, pro felici exitu ex Aegypto immolavimus et sacrificavimus tibi agnum paschalem, nos, inquam, qui sumus *justi*, id est, fideles tui, et *pueri bonorum*, id est filii sanctorum patriarcharum Abrahæ, Isaac et Jacob; tumque *justitia legem, graeco, divinitatis*, id est, *divinam legem in concordia disposuimus*, id est, concorditer unanimi consensu statuimus legem Dei servare, *similiter bona et mala recepturos*, ut scilicet similiter et aequo corde pateremur mala et bona pro lege Dei, ac constanter et unanimiter omnia adversa, etiam exsilium et mortem pro ea subiremus, ideoque inter epulum agni paschalis decantavimus *laudes patrum*, qui pro Deo constantissimo

persecutiones et erumnas quaslibet pertulerunt.

ET JUSTITIAE (Graeco, *δικαιοσύνη*, id est *divinitatis*) LEGEM. — Quares, quoniam sit lex divinitatis? *Primo*, aliqui accipiunt legem de immolando agno paschali a Deo sanctam: ita Glossa, S. Bonaventura et Hugo. *Secundo*, alii accipiunt legem a Moysse de preparando se ad exitum ex Aegypto Hebraeis praescriptam, et quamvis aliam a Deo in Sina praescribendam, Exod. XIX: ita Lyranus. *Tertio*, pressius noster a Castro accipit legem justitiae legalis, sive concordiae civium, quam subicit Sapiens, qua se omnes Hebraei coram Moysa et Aarone ad Dei cultum, et pro eo ad omnium rerum communionem constringebant, et in egressu, et in profectioe, et in ingressu Terrae Promissae divinitatis legem vocat, quod obediens praecipito Dei praecipitatis, ut omnes simul extirpent, uno consensu statuerunt et in mortem et in vitam abire, ut tanquam unus populus, et honorum eorumdem et periculorum similiter fierent participes: sic et Jansenius ac Vatablus. Acoedit Cantabuzenus, qui asserit Hebraeos nocte paschali inter sacrificandum promissa se leges Dei, sive quidquid Deus praecipere, servaturos; et Osorius: *Lex, inquit, justitiae et divinitatis erat, ut vite officia dirigerent ad sanctitatis legem, sive ad rationes justitiae et sanctitatis aeternae, quae sunt in mente et voluntate Dei*. Tunc enim Hebraei ab Aegyptiis idololatris se sequestrantes, quasi in unum Dei populum unamque Ecclesiam militantem coeuntes, reipsa professi sunt se velle Deo vero servire, ac in illius religionis cultuque quasi sacramento militari se obstrinxerunt, scilicet se pro lege Dei unanimiter decertaturos usque ad mortem. Hoc enim fuit Vetus Testamentum, sive pactum cum Deo ab Hebraeis initum, sicut Novum Testamentum, sive pactum, est quod Christus cum apostolis et fidelibus instituit, praesertim in ultima cena, illudque sanxit sacrificio sui corporis Eucharistia.

SIMILITER ET BONA ET MALA RECEPTOS JUSTOS. — Vatablus, *sanctos eorumdem bonorum et periculorum ex aequo consortes fore*, sicut socii in belli promittunt et jurant sibi fidelitatem, omniaque bona et mala singulis fore communia, ut eadem pericula et adversa omnes subeant usque ad mortem: sic enim in saneto hoc federe Hebraei conspirabant, et quasi conjurabant in Dei veri cultum et obedientiam, ac in mutuum societatem, ut omnia tristitia aequae ac bona unanimiter subirent; quod erat divina in Ecclesia societate confederari, et quasi consenseri.

PATREM JAM DECANTANTES LAUDES. — Minus recte Lyranus legit, *patrum eorumdem*, id est *Deo*; et Bonaventura et Hugo, *patris laudes*: Graeco enim et Romano habent *patrum laudes*; graeco est, *ᾠδὴν ἐκ τῶν ἀγαθῶν πατρῶν ἀκούων*, id est, *patribus jam praevinentibus laudes*, id est patribus inchoantibus hymnos, quos deinde filii prosequerentur, uti factum est post transitum Maris Rubri, Exod. XV. 1. Ve-

rum Complutenses et Vulgata legunt, *προκατα-
στης*, id est *praecedentes*, ubi *εὖ* pra inuitt He-
braeos cepisse canere has laudes, antequam
Egyptii sua lamenta ob primogenitorum eadem
inchoarent; unde Vatablus hanc clausulam ad
sequentia eorum lamenta referens, iisque per an-
tithesin opponens, sic vertit, *et patribus jam hym-
no praecinctis inimicorum contra clamor incondi-
tus clarescebat, comploratioque miserabilis puerorum
excitabatur*: idque magis patebit versu sequenti,
ubi pro *resonabat*, graece est *ἀντιχῆ*, id est *ex al-
tera parte*, et quasi ex altero choro sonabat et
respondebat.

Porro *laudes patrum* accipi possunt, primo, lau-
des quibus Hebraei patres suos, qui hanc poste-
rorum ex Egypto liberationem praedixerant, in
sua sanctitate meruerant, laudabant: ita Canta-
cuzenus, *q. d.* Hebraei celebrantes epulum agni,
ut eo peracto egredierentur ex Egypto, visa caede
primogenitorum Egypti, seque ab illa immunes
existere, laudabant suos patres Abraham, Isaac
et Jacob, quibus hic exitus a Deo fuerat promis-
sus; itaque se mutuo beatos predicabant, quod
tales habuissent patres, qui omni laude digni
essent. Unde sibi mutuo congratulantes de iis,
deique eorum propheta, quam jam adimpleri
cernebant, exsultantes Deo eucharisticum car-
men modulabantur. Secundo, per *laudes patrum*
accipi possunt hymni a patribus ad Deum lau-
dandum compositi, et posteris per manus avo-
rum traditi, ut iis quoque instar patrum Deum
laudarent. Tertio, per *laudes patrum* intelligi pos-
sunt hymni a Moysae et Aarone compositi, ut iis
Hebraei inter sacrificium epulumque agni Deum
laudarent, ipsique gratias agerent, quales hymni
et doxologiae exstant etiamnum apud Hebraeos in
rituali Pascha, atque ab iis in celebratione agni
paschalis canuntur; unde et Christus, *Math.*
xxvi, 30, celebrat Pascha « et hymno dicto exi-
vit cum discipulis in montem Olivarum. »

Graphice hic depingit ultimam plagam Egyptio-
rum, puta eadem primogenitorum tam homini-
um, quam animalium caeterorum, quae plane
discriminavit et dispenct Hebraeos ab Egyptiis:
angulus enim percussor transiens et transiliens
domos Hebraeorum, quos velut Dei populum re-
veritus tangere non audebat, insiliebat in domos
Egyptiorum, eorumque primogenita omnia oc-
cidebat, indeque institutum et nuncupatum est
festum Pascha: Pascha enim hebraice idem est
quod *transitus vel transitus*, scilicet angeli per-
cutientis: radix enim *פסח* pasach significat *tran-
sire*, vel potius *transilire*. Similis transitus et per-
cussio angeli fuit Romae sub Agathone papa,
anno Domini 680, quo Paulus diaconus, lib. *VI De
Gestis Longob.* cap. *v*, scribit visibiliter nullis
Roma apparatus bonum et malum angelum
noctu per civitatem peregere, et quoties ex iussu
boni angeli malus venabulo, quod in manu ferre
videbatur, ostium domus alicujus percuteret, tot

de eadem domo die sequenti homines interirent,
tuncque per revelationem cuidam dictum esse,
pestem non prius quieturam, quam in Basilica
S. Petri ad vincula poneretur altare S. Sebastiani
martyris: eo vero facto pestem profluvius cessasset:
haec ille. Exstat autem ibidem hactenus integrum
ipsam altare, nec non ejusdem sancti martyris
imago musivo opere expressa: sed et ex hoc
propagata ad posteros religio est, ut pestis tem-
pore, voti causa imago ejusdem S. Sebastiani
diversis in locis pingi solet, atque in ejus me-
moriis altaria erigi et Ecclesias fabricari.

10. RESONABAT AUTEM INCONVENIENS INIMICORUM
VOX, ET FLEBILIS AUDIEBATUR PLANCTUS (graeco *ἀντιχῆ*,
id est *miserabilis*) FLORATORUM INFANTUM. — Pro
resonabat, graece est, *ἀντιχῆ* (unde nomen *echo*,
id est resonantia vocisque reverberatio), id est ex
adverso sonabat, et quasi ex altero choro *ἀντι-
χῆ*, antistrophe responsabat: ponit enim hic
quasi duos choros sibi responsantes, sed dissona
voce et tono, ideoque sibi adversantes, sed dissona
Hebraeorum praes gaudio incoluntatis suis hym-
nos canentium, alterum Egyptiorum mortem
primogenitorum suorum miserabiliter deploran-
tium: ita Vatablus, cuius versionem et verba jam
recensui. Hinc pro *inconveniens*, graece est *ἀντι-
χῆ*, id est *inconcinuus*, inconditus, dissonus,
q. d. Erant hic *soni*; non *ἀντιχῆ*, sed *ἀντιχῆ*,
id est, *erant soni non consoni*, sed *dissoni*, quare
miram non symphoniam et consonantiam, sed
dissonantiam efficiebant: complorationi enim
Egyptiorum responsabat exsultatio Hebraeorum.
Male autem et inconcinne respondet chorus ex-
sultantium choro complorantium, juxta illud
Eccli. xxii, 6: « Musica in luctu importuna nar-
ratio. » Pro *audiebatur*, graece est *ἀκούεσθαι*, id est
quaquaersum differebatur et spargebatur. Pro *plorato-
rum*, graece est, *βρυσσάντων*, quod alii vertunt
active, plorantium, puta primogenitorum, qui
plorabant cum occiderentur ab angelo percu-
tiente; verum angelus eos subito occidit, nec eis
tempus plorandi dedit (exceptis paucis, quos in
penam parentum ad tempus semivivos reliquit,
de quibus vers. 18); unde *Ezod. xii, 29*, referunt
parentes duntaxat planxisse eadem suorum
primogenitorum, non vero ipsi primogeniti;
quare melius Noster vertit passive *ploratam*,
quorum scilicet necem parentes deplorabant.

11. SIMILI AUTEM PONA SERVUS CUM DOMINO AP-
PLICTUS EST, ET POPULARIS HOMO REGI SIMILIA PAS-
SUS, — *q. d.* Strages haec primogenitorum fuit
universalis omnibusque communis: tam enim
primogenita servi vel popularis, id est plebei,
quam domini vel regis Pharaonis occisa sunt ab
angelo, ut patet *Ezod. xii, 29*. Nullus ergo, ne
rex quidem, ab hac plaga immunis exsistit.

12. SIMILITER ERGO OMNES UNO NOMINE MORTIS
MORTUOS HABEBANT INNUMERABILES. NEC ENIM AD SE-
PELIENTIUM VIVI SUFFICIEBANT: QUONIAM UNO MO-
MENTO, QUAE ERAT PRAECLEARIOR NATIO ILLORUM, EX-

TERMINATA EST. — Pro *similiter*, graece est *ἐπι-
παρόντων*, id est *uno animo*, communi consensu, com-
muni voce et comploratione: nam, ut narrat Philo-
lib. *De Vita Moysis*: « Prima luce cum quisque
carrissimos inopinata nece sublato videret,
cum quibus superiore die suaviter usque ad ves-
peram convixerat, ut in publico luctu gravissima
comploratione impleverunt omnia: cum enim
aeris esset exorsus ejus calamitatis, unus erat clamor
omnium, unusque luctus definiebat regionem
universam quaeumque patebat. Qui tantisper
dom intra privatos parietes se continebat, singulis
illius aliena mala ignorantibus, privatus etiam tum
videbatur; ubi vero alii didicerunt, ex aliis gemi-
nabatur comploratio, in tantum gravante do-
lore publico, ut nullus consolator existeret: quis
enim solaretur alterum indigens ipse consolatio-
ne? »

UNO NOMINE MORTIS, — hoc est eodem mortis
genere, puta eadem plagainflicta ab angelo: quia
enim eadem omnium Egyptiorum erat culpa,
puta oppressio Hebraeorum, ac praesertim infan-
tium occisio, hinc pariter eadem omnium fuit
pena, eaque criminum congrua, puta primogenito-
rum caedes. Sic nomen sumitur pro genere vel
specie apud Virgilium, cum ait:

Omnia peccarum percurrere nomina (id est genera)
possem.

Et:

Tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

Rursum nomina vocantur debita, eorumque syn-
graphae, ait Budaeus; unde nomina exigere est
debita, repetere apud Ciceronem: quare in nomine,
id est in culpa et debito mortis: nam, ut dixi,
omnes Egyptii erant rei mortis ob oppressionem
Hebraeorum. Denique proprie uno nomine, id est
eodem de causa, puta ob idem crimen: nomen
enim saepe pro causa usurpatur.

NEC ENIM AD SEPELIENTIUM VIVI SUFFICIEBANT: —
nulla enim erat domus, in qua non esset mor-
tuis sepellendus, imo in eadem saepe erant plu-
res primogeniti, v. g. primi filii fratrum, sororo-
rum, ancillarum, qui omnes occidebantur ab
angelo: accedit, quod Egyptii in sepeliendo, un-
deque, reliquae pompa funeris et sepulturae
erant morosi, longi et exquisiti praes caeteris gen-
tibus, ut patet *Genes. l, 2*. Insuper angelus oc-
cidit primogenita animalium aequae ac hominum,
ut patet *Ezod. xi, 5*, haec autem sepelire debe-
bant, ne aerem tunc inficerent.

PRAECLARIOR NATIO ILLORUM, — id est proles ho-
noratior: tales enim sunt primogeniti, qui caeteris
prohibent anteferrunt.

13. DE OMNIBUS ENIM NON CREDENTES PROPTER VE-
NEFICIA, TUNC VERO PRIMUM CUM FUIT EXTERMINIUM
PRIMOGENITORUM, SPOFONDERUNT POPULUM DEI ESSE.
— Graece, qui enim nil credebant propter veneficia,
in primogenitorum interitu confessi sunt Dei filium

populum esse; Vatablus, nam cum propter prestigi-
os omnia credere recusarent, post eadem primoge-
nitorum populum Dei filium (id est Deo charis-
simum) esse confessi sunt; nonnulli legunt *veneficia*,
sed legendum cum Romanis et Graecis, *veneficia*,
quae scilicet sunt maleficiorum et sagarum
beneficia: graece est *επαρξιας*, id est *incantationes*,
praestigias, magicas artes, quibus magi Phara-
onem et Egyptios ita dementarant, ut Moysi
per Deum tot plagas inferenti fidem non adhibe-
rent, nec Hebraeos esse populum Dei crederent.

SPOFONDERUNT, — graece, *ἀπαρξιας*, id est *confessi sunt*
a populo Dei esse, a *q. d.* cum Phara-
on et Egyptii antea nolent credere Moysi et
Deo, eo quod viderent magos suos veneficis et
incantationibus quaedam mira facere similia illis,
quae faciebat Moyses, postea tamen videntes tan-
tam, tamque universalem et conformem eadem
primogenitorum, adeo attoniti et perculsi fuero,
ut confessi et palam professi sint Israelem esse
populum Dei, idque adeo certo et firmiter, ut pro
eo spondere audent seque vades et sponsors
exhibere, praesertim cum eadem nocte qua egres-
sus est Israel ex Egypto, omnia Egyptii templa,
vel fulminibus, vel terrae motibus eversa sint, uti
tradunt Hebraei, et ex iis S. Hieronymus, epist.
127 ad Fabiolam: quocirca Egyptii Hebraeos
Egypto exire non tantum permisissent, sed et
urserunt ac coegerunt.

14, 15 et 16. CUM ENIM QUIETUM SILENTIUM CONTINERET
OMNIA, ET NOX IN SUO CURSU MEDIUM ITER HABERET,
ONNIPOENS SERMO TUUS DE COELO A REGALIBUS SEDI-
BUS, DUKUS DEBELLATOR IN MEDIAM EXTERMINI TER-
RAM PROSLIVIT, GLADIUS ACUTUS INSIMULATUM INFER-
RUM TUCM PORTANS, ET STANS REPLEVIT OMNIA MORTE,
ET USQUE AD COELUM ATTINGERAT STANS IN TERRA: —
Syrus, *silentium enim et quiete tenebat omnia, et in
media nocte factus est stupor, verum tamen, quod
omnia potest, de caelo venit et throno regni admirabi-
lis: gladius media perditione overit super ter-
ram: gladium acutum praeproptu tuo, quod non acci-
pit personam, attulit, et percussit omne praeproptu,
atque ad caelum pervenit, et stetit super terram*;
Arabicus, *quantum aqua apprehendit universas crea-
turas silentio quietis, et aqua (vel facta) est illa
nox in aequilibrio; vicit verbum tuum bellipiens ter-
ribile, omnipotens de caelis usque ad medium intimo-
rum habentium regna, in perniciem eorum, ex terra
accinctum praeproptu tuo imperante, carente simula-
tione, gladio terrificante. Pergit exaggerare ulli-
mam Egypti plagam, nempe eadem omnium
primogenitorum, tam in animalibus quam in
hominibus, quae contigit nocte paschali, puta
14 luna, sive 14 die mensis primi, qui dicitur
nisan, sub medio noctis, uti narratur *Ezod. xii,
29*. Sensus ergo est, *q. d.* In media nocte paschali,
cum alta esset nox, indeque quietis et silentium,
etiam scilicet Egyptii secure alium dormirent, ecco
tibi repente de caelo sermo tuus, id est iustus tuus,
sive edictum, sententia et mandatum tuum teve-*

rum et pugnax, in Ægyptum exterminio a te destinatus desiluit, gladius, inquam, acutus non fictum, sed sincerum tuum imperium portans, quæ replevit omnia cæde et morte primogenitorum omnium, adeo ut videretur e caelo porrigere se in totam Ægypti terram. Hunc esse sensum liquet ex ipsis Scriptura verbis, atque ex antecedentibus et consequentibus.

Ad litteram ergo loquitur de strage primogenitorum Ægypti indicta a Deo per Moysen, non de natalitate Christi; illi tamen allegorice hæc omnia accommodat Ecclesia in Officio ecclesiasticæ natalitatis Christi (et Epiphaniæ) quam proinde statim post medium noctis, die 25 decembris jam inchoante contigisse, communis est doctorum et Ecclesiæ sensus: quæ de causa ipsa statim post medium noctem missam inchoat in *Festo Natalitatis Christi*, ex decreto S. Telesphori pape in sua *Epist. Decretali*, cap. II, quod et notavit Damasus pontifex in *Vita Telesphori*: vide Suarez, III part. *Quæst. XXXV*, sub finem. Idipsum satis colligitur ex illo *Luc. II, 8*: « Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. » Nimirum noctu nascitur Christus, quia venerat noctem infidelitatis et peccatorum mundi, sancto suæ natalitatis fulgore discutere et illustrare. Porro allegorice hæc apposta est et congrua: sicut enim olim Deus sermo, sive verbo, id est jussu suo, vel verbo, id est per vindicem Sapientiam, ac per filium suum Iheravit Hebræos ex Ægypto, cædendo primogenita Ægyptiorum, atque per hæc operationem et vindictam dicitur de caelo descendisse in Ægyptum: ita pariter in natalitate Christi proprie Verbum Dei descendit ad unionem hypostaticam cum carne et humanitate a se assumpta in terra, puta in utero B. Virginis, ut homines liberaret per suam redemptionem, passionem, crucem et gratiam, exterminando et debellando peccatum, mortem et diabolum: ita S. Anselmus in *Eluclatario*; Idacius, *Contra Varinadum*; Petrus Blesensis, serm. 6 *De Nativitate Domini*; imo Tertullianus, lib. V *Contra Marcionem*, cap. IX, et S. Augustinus in *Psal. cix*: idem probant ex illo vers. 3: « Ex utero ante luciferum (id est ante aërorum) genui te. »

Adde incarnationem Verbi, quæ fuit quasi prima natalitas Christi, quæ proprie de regalibus eorum sedibus descendit in uterum B. Virginis factus homo, configit nocte paschali, puta 25 martii, quæ de Ecclesia in tanti mysterii memoriam celebrat *Festum Annunt. B. Virginis*: nam 25 die martii, ut mundus olim a Deo fuit creatus, ita post quatuor aërorum millia eodem die fuit recreatus per Verbi incarnationem, ac ejusdem post 34 annos eodem die crucifixionem et mortem. Hæc enim tria mysteria confingit die 25 martii, docui *Proemio* in Acta Apostolorum, initio Chronotaxeos. Hæc de causa prisci rabbinii in libris *Canota*, quos citat Ystella in *Exod. xvii, 44*,

disp. 2, ita scribunt: « In eadem die (15 nisan, puta in Paschate) redimendus est Israel in diebus Messie, sicut redempti sunt eadem die, de qua scribitur: *In diebus egressionis tuæ extendam manubilla*, » quod nota, ad Judæos sanctorum rabbinorum diebus revincendos; hinc Ecclesia in hæmationibus cerei paschalis, nocti paschali hæc concinendo dat elogia, partim litteralia, partim mystica:

Hæc enim sunt festa paschalia, in quibus verus ille Agnus occiditur, cujus sanguine postea fidelium consecrantur. Hæc nox est, in qua primam patres nostros filios Israel aductos de Ægypto, Mare Rubrum sicco vestigio transire fecisti. Hæc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras columnas illuminatione purgavit. Hæc nox est, quæ hodie per universam mundum in Christo credentes, a vitis sæculi et caliginis peccatorum segregatos reddit gratiæ, sociat sanctitati. Hæc nox est, in qua destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit. Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset. » Unde admiranda et exultans in hæc paradoxa exclamando prorumpit: « O mira circa nos pietatis dignatio! O inestimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, filium tradidisti. O certe necessarium Ade peccatum, quod Christi merito deletum est. O felix culpa, quæ talem ac tantum meritum habere redemptorem. O vere beata nox, quæ sola meruit scire tempus et horam, in qua Christus ab inferis resurrexit. Hæc nox est, de qua scriptum est: *Et nax sicut dies illuminabitur: et nox illuminatio mea in deliciis meis*. Illius igitur sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat, et reddit innocentiam lapsis, et mœstis lætitiæ, fugat odia, concordiam parat, curvat imperia, etc. O vere beata nox, quæ spoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos. »

Anagogice, ex hoc cædis primogenitorum Ægypti media paschali nocte peractæ typo, S. Chrysostomus, Theophylactus et S. Hieronymus (qui ait hæc esse apostolicam traditionem) asserunt Christum eodem modico noctis tempore verum ad iudicium, ad majorem terrorem reproborum, ut eos exterminet et deturbet in tartara; alii tamen summo mane venturam putant. Nunc singula verba expendamus.

« CUM ENIM QUÆSEDAM SILENTIUM CONTINERET OMNIA: (ita Romana et Græca; sili legant *continuit*: utrumque verum, quies enim et silentium noctu occupat omnia, et vicissim occupatur ab omnibus), ET NOX IN SUO CURSU MEDIUM ITER HABERET; — græce, et nocte in propria velocitate dimidiata, id est sub medium noctem vel paulo post dimidium noctis: tunc enim facta est ab angelo cædit primogenitorum Ægypti, *Exod. xi, 29*. Causa fuit, ut eo terribilior esset cædes, quo magis erat inprovisa, obscura et nocturna, ut hoc terrore percussus Ægyptii obstinationem excoerent, ac miseros faceret Hebræos; unde Petrus Blesensis silentium hoc vocat *continentium*, quod est tempus medie noctis post galli cantum.

Causa tropologica fuit, ad arenam divinam majesticat vim et efficaciam representandam: nimirum Dei arcani et invisibilis arcana et obscure deest esse opera. Rursus Deo loquente silant omnes creature oportet, juxta illud *Sophon. I, 7*: « Sileat a facie ejus omnis terra; » *Habacuc II, 22*: « Sileat a facie Domini mel; » et *Zachar. II, 13*: « Sileat orbis caro a facie Domini. » Hinc Syrus verit, in media nocte factus est stupor. Moraliter, hic disce opera Dei et virorum divinum, non se ostentare, sed peragi in quiete et silentio: ita generatio Christi divina, quæ gignitur a Patre, est summe arcana; ac humana, quæ conceptus et natus est ex B. Virgine, fuit secretissima. Quocirca Christus comparatur aqvi « Siloe quæ vadunt cum silentio, » *Isai. viii, 6*: ubi multa de fructu silentii dixi, ac plura *ibid. xxx, 45*, ad illa: « In spe et silentio erit fortitudo vestra. » Hinc silentium sunt profundæ cordis. « Altissima flumina nimis sono labuntur, » ait Curtius. Ex adverso loquaces levi sunt corde, nimirum *Ezech. xxi, 20*: « In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum: » vide ibi dicta.

« OMNIPOTENS SERMO TUUS DE COELO A REGALIBUS SEDIBUS, DURUS DEBELLATOR IN MEDIA EXTERMINI TERRAM PROSILIVIT. — Omnipotens sermo: græcè cum *δύναμις* et sermonem et verbum significat, puta jussione et sententiam Dei, q. d. Sententia dura et asperata a Deo in solio cælesti, per angelum bellatorem in media nocte executioni mandata e caelo desiluit, ita a Castro: allegorice, sermo hic est ipsum Verbum incarnatum. De caelo; Complutenses addunt *caesiliens*, sed id merito deest Romani et Græci: mox enim sequitur *prosiliuit*. Durus, *ἀνίπικτος*, id est asper, sævus; Arabicus, *terribilis*. Debellator, græcè *ἐκκαταρτής*, id est bellator; Arabicus, *bellipotens*, quia, ut verit Syrus, bellatores (Pharaonem et Ægyptios) media nocte occidit, juxta illud *Exod. xv, 3*: « Dominus conterens bella, » id est bellatores inimicos; Chaldeus, *Domus victor bellorum*. In media exterminii terram prosilivit, nimirum in Ægyptum exterminio a Deo adictam; græcè est *ἐπιπέταξ*, id est *caesiliens*, vel perniciose terre, ut verit Valabius, ideoque exito addicte: *is prosiliuit*, vel ut Valabius, *desiluit*, notat Dei vindicis Ægyptios irradentis velocitatem, vim, iram, impetum et efficaciam inevitabilem. Allegorice, Christus ingenti virtutis et amoris saltu e caelo in terram desiluit factus homo, juxta illud *Cont. II, 8*: « Ecce venit iste saliens in montibus, transiens oculos; » in quæ verba commentans S. Bernardus, serm. 53 in *Cont.*: « En quantum saltum, inquit, dedit a summo caelo ad terras: » saltum enim magno saltu desulit in caelo in cœnum, e cœno in crucem, e cruce in infernum, inde resiliit in terram, ac e terra in cœlum.

GLADIUS ACUTUS INSICULATUS IMPERIUM TERRÆ PORTANS; — græcè. *omnipotens sermo tuus*, etc., *gladium acutum* (puta) *insinuatulum inuicium tuum*

portans: *επίσημ* enim, cum sit masculinum, ad *δύναμις*, id est sermo, referri debet, non ad *επίταξ*, id est gladium, cum sit generis neutri: Noster videtur legisse neutre *επίσημ*, itaque retulisse ad gladium, sed eodem redit sensus, q. d. Sermo tuus, o Domine, fuit quasi gladius acutus, qui *imperiū tuum insinuatulum*, græcè *ἐπισημαίνον*, id est *non hypocriticum*, non simulatum, non fictum, non comminatorium, sed verum, sincerum, impertum, certum et efficax, planeque executioni mandandum (angelus enim percutiens non finxit se nolle percutere, cum revera percuteret, sed quod fecit, hoc præ se tulit; nec tantum comminatus est se velle occidere, sed reipsa occidit) portavit et detulit in Ægyptum. Porro gladius in Scriptura significat quodlibet instrumentum, et quælibet modum cædis, puta omnem eladem et stragem. Nam, ut ait Varro, lib. IV *De Lingua Latina*, gladius dicitur a *clade*, quod sit ad hostium eladem, dum eos ferit, secat et necat, nam omnis corporis dolor consistit in sectione, sine divisione continui: nec enim angelus cædens primogenita Ægypti usus est gladio, aut eo opus habebat, sed per se immediate primum gladium Ægypti suffocando, lacerando, aliove modo lacerando necabat: unde dicitur *acutus*, quia, ut ait Apostolus *Hebr. iv, 12*, « vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti. »

ET STANS. — Scilicet *stans*, id est sermo, græcè enim est *στάξ*, masculinum, quod ad *δύναμις* masculinum referri debet, non ad *επίταξ*, id est gladium, quod est neutrum: statio hæc irrevocabilem et immobilem decretorum Dei jussione significat, æque ac insinuatulum imperium ejusdem auctoritatem, ait S. Bonaventura.

REPLEVIT OMNIA MORTE (nempe cæde primogenitorum Ægypti), ET QUÆ AD COELUM ATTINGENT STANS IN TERRA. — græcè, et *caelum quidem attingebat, descendens vero, vel ingreditur vero in terram*, q. d. Magna potens, ecclesiis atque ex caelo manans, ideoque ingens et inevitabilis erat hæc cædes et vindicta: quare esto in terra peragetur, vim tamen sortiebatur e caelo, imo eam inchoabat in caelo: ut Verbum Dei mandavit angelo in caelo, ut illico in terram descendens percuteret primogenita Ægyptiorum, quare vim suam omnipotentem explicuit, tam in caelo, quam in terra. Aliter Dionysius, q. d. Angelus: excoerit vindictæ divine, vim suam extendebat usque ad cœlum aerium, quousque scilicet ambitus virtutis activæ ejus se porrigere poterat. Aliter quoque noster Lorius, q. d. Vix ea dicta dedit Deus in caelo, vix increpuit sonus in caelo jussionis divine, cum reipsa peracta est; simul voluit ipse ut primum dicitur, illico quod imperavit factum est; quod vulgo dicimus: « dictum, factum; » et Scriptura de aliis divinis operibus, *Psalm. cxlviii, 5*: « Dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt. » Sic et a Castro: Notat, inquit, hæc phrasæ celeritatem completi Verbi

Dei, quod adeo celer fuit angelus percussor in percussis primogenitis, et complendo precepta Dei, ut necdum celo relicto, unde mitteretur, iam terram pede calcaret et jussum exereretur. Porro Vatablus veritatem, et stans omnia morte, celum partim attingens, partim solo insistens, complent: quibus verbis innuit angelum hunc, ut Dei Domini sui plenum in celum et terram imperium ostenderet, visum a nonnullis pedem manu collocare in terra, alterum in celo, id est in corpore, ut angelus visus a S. Joanne Apoc. x. 2 et 6: « Posuit pedem suum dextrum super mare, sinistram autem super terram, etc., et juravit per viventem in secula saeculorum, quia tempus non erit amplius. » Hoc allegorice recte convenit Verbo incarnato, quod qua Deus celum Deumque attingit, qua homo terre figurat; unde ejus typos fuit scala Jacob, et terra in celum porrecta, cui innitebatur Deus: Christus enim, instar, scale, qua Deus tangit celum, quo homo terram: in seipso enim junxit celum ceno, Verbum carni, Deum homini.

Simili modo tempore S. Gregorii, uti ipse refert, lib. IV *Dialog.* cap. xxxvi, sagitte oculis lapsa pestem Romae indixerunt, quam ipse Litanis et publica processione, deficiens imaginem B. Virginis a S. Luca depictam, sedavit: cum enim ad molem Adriani (qua exinde dicta est *Castellum S. Angeli*) procedendo pervenisset, visus est angelus in signum reconciliandi numinis, gladium nudatum in vaginam reponere, eoque symbolo lues cessavit, uti ex prisca monumentis refert Baronius, tom. VIII, anno Christi 590. Simile configit Davidi offerenti sacrificium ad sedendam pestem, ab angelo percussente ob numeratum a Davide populum Israeli inflictam, III *Reg.* 16: vidit enim Deum dicentem angelo: « Suffice, confine manum tuam. »

17, 18 et 19. Tunc continuo vises somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati. Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis. Visiones enim, que illos turbaverunt, premonabant, ne insciti, quare mala patiebantur, perirent. — Noster legit *διών*, id est graviter, puta malorum, jam legitur *δυνα*, id est graviter: ex Greco clare sic veritas; tunc repente visiones quidem somniorum graviter turbaverunt eos, timores vero insisterunt insperati. Et alius alio abjectus semimortuus, quam ob causam moreretur ostendebat. Nam somnia que turbaverunt eos, hoc præsignificabant, ne ignorantes, cur mala paterentur, perirent. Pro projectus, grece est *περιε*, id est factus, disjectus, ejectus magna vi et impetu: nam *περιε* est projectio, factus, impetus: significat ergo hæc vox, primogenitus nonnullis tanto impetu ab angelo fuisse projectus, humique afflicto et alliso, ut consternati prostrati que facerent velut exanimis et semimortui. Igitur hi tres versus significant, cum eade primogenitorum Deum immisisset terrificam

spectra in somnis, indeque timores et angores Ægyptiis, præsertim nonnullis primogenitis, quos non statim occidit, sed semivivis reliquit,isque in somnis causam tanto mortis et stragis primogenitorum revelavit, ut ipsi eandem parentibus indicarent, scilicet se occidi, quia ipsi oppresserant Hebræos, eorumque infantes masculos occiderant: Hebræi enim, sive Israel, erat primogenitus Dei populus: Jure ergo Ægyptii primogenitos suos perdidit, qui paulo ante primogenitum Dei populum perdidit: audi Moysen, *Exod.* iv, 22: « Hæc dicit Dominus (Ubi, o Pharae): Filius meus primo genitus Israel. Diri tibi: Dimitte filium meum, ut serviat mihi, et nobis dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum: » hunc sensum plane significat *in causam demonstrabat mortis: visiones enim, que illos turbaverunt, hæc premonabant, ne insciti, quare mala patiebantur, perirent*, ne scilicet stragem hæc tribuerent casu, epidemice, pesti, alterive cause naturalis, sed Deo vindictæ ob afflictum israel, ideoque eum liberam ex Ægypto in Chanaan abire permitterent, uti causa ex primogenitis suis cogitata de facto abire permisissent. Hoc enim hæc plaga ab eis extorquere intendebat Deus: porro idipsum tacet Moyses, *Exod.* xii, sed Sapiens hic supplet, uti alia plura, que vel majorum traditione, vel Dei revelatione accepit.

Hinc moraliter discit Deum, cum quem punit et plectit, solere non raro eidem causam et culpam, ob quam eum plectit, indicare: sicut iudex, cum reum ad forcem condemnat, assignat ei furum, aliterve scelus ab eo commissum, ob quod eum condemnat, ut ipse ceterique sciunt quodnam scelus puniatur, itaque illud deinceps caveant. Sic Antiochus moribus lethalibus afflictus Deo indicante, fassus est se puniri ob clades Hebræis injuste illatas, II *Machab.* ix, 41. Sic fratres Joseph afflictionis suæ causam Deo suggerente agnovissent esse, quod ipsi prius afflixissent Joseph, *Genes.* xlii, 21: « Merito, inquit, hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum depræcatur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos hæc tribulatio. » Sic Moyses, *Exod.* vii, viii et ix, jussu Dei Pharaoni et Ægypto indigens decem plagas, eidem revelavit causam, scilicet quod nollet Hebræos dimittere. Sic Samuel Sauli ex Deo interitus privationem regni et vite, causam addidit, quod Deo præcipienti disperderet Amalecitas, non obediisset, I *Reg.* xv, 19 et sequent. Sic passim in libro *Judicum*, causam oppressionis Hebræorum peractæ a Philistæis, Medianis, Moabitibus, etc., Deus assignat cultum Baal, Astaroth et idolorum. Ægyptii ergo videntes primogenitos suos occidi, partim ex Moysi predictione, partim ex primogenitorum cum occiderent revelatione et confessione, sciverunt se hæc plaga puniri, eo quod ipsi primogenitum Dei populum, puta Israel, afflixissent et occidissent.

Nota est visus somniorum malorum turbaverunt illos: nam Hippocrates lib. *De Somn.* docet « somnia nocturna diurnis exercitationibus respondentia esse bona sanitatemque significantia, propterea quod anima in diurnis consiliis perseverat, neque reptatione, neque evacuatione aliqua, aut alia forinsecus allapsa re victa. Cum autem insomnia diurnis actibus adversantur, et de ipsis pugna oboritur, cum sane hoc confingerit,urbationem in corpore significat, et siquidem foris fuerit, forte est malum; si vero leve, debilius. Præterea turbidas imaginationes et pavores diurni turbida gignunt somnia nocturna, juxta illud Senecæ in *Octav.* :

Quæcumque mentis cogitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer, et arcana refert,
Veloxque sensus.

20. TERTIUM AUTEM TUNC ET JUSTOS TENTATIO MOR-TIS, ET COMMOTIO IN EREMO FACTA EST MULTITUDINIS: SED NON DIU PERMANSIT IRA TUA. — Pro tunc Noster legit *τότε*; jam legitur *τότε*, id est aliquando: codices Vaticanæ utrumque omittunt. Tunc, id est prisco illo tempore egressionis Israel ex Ægypto, etsi diverso: nam tentatio hæc contigit in deserto, post eadem primogenitorum in Ægypto. Tertia est hæc antithesis Hebræorum et Ægyptiorum, etque simul tacita occupatio, *g. d.* Dicit quis: simul Pharae et Ægyptii resistentes Moysi a Deo contriti sunt, sic et Hebræi, puta Core, Dathan et Abiron, eorumque symmyste et socii: ergo par utrorumque fuit conditio, par in utroque ira Dei. Respondet negando consequentiam: ira enim Dei exterminavit Ægyptios, ut disperderet eos; Hebræos vero duntaxat castigavit, ut emendaret; unde paucorum cæde sanxit cæterorum vitam, obedientiam et disciplinam. Congrua transit a Pharaone et clade primogenitorum Ægyptii ad Core, Dathan et Abiron, tum quia sicut Pharae restitit Moysi, sic et Core cum suis eidem seditione rebellarunt; tum quia Core, Dathan et Abiron crant primogeniti, ideoque prætendebant sibi deberi pontificatum, quem Moyses contulerat Aaroni fratri suo, eo quod in lege nature primogeniti fuissent sacerdotes; tum quia cæsi sunt ab angelo percussente, sequæ ac primogeniti Ægyptiorum. Historia fuse narratur *Numer.* xvi, nimirum cum Core, Dathan et Abiron ambientes pontificatum rebellarunt Moysi et Aaroni, Moysen Deum invocante, vivi a terra absorpti descenderunt ad inferos; alii pariter eis adherentes, numero 250, cælesti igne afflati interierunt: quocirca totus populus murmuravit contra Moysen et Aaronem, dicens: Vos occidistis populum Domini: qua de causa Deus ignem in populum immisit, qui quatuordecim millia et septingentos combussit; cumque serperet incendium, ut plures combureret, Aaron jussu Moysi inter occisos et vivos medium se statuens, orans et thurificans stitit plagam, iramque Dei sedavit. Vide dicta *Numer.* xvi.

JUSTOS: — ita vocat Hebræos fideles, strole Dei cultores, et ad justitiam vocatos, ut superius dixi. TENTATIO MOR-TIS. — Ergo tentatio hæc non fuit sollicitatio ad peccatum, sed pœna peccati, puta invasio mortis, qua mors invasit et corripuit jussu Dei Core, Dathan et Abiron cum sociis, ac cæteros Hebræos invadere destinabat: quibus tentatio hæc fuit comminatio, et discrimen mortis intertatum ab angelo puniente. Unde Nannius: *Tentatio*, inquit, grece *πειρα*, idem est quod periculum mortis: sic enim dicimur tentari febre, catharro, calculo, id est periclitari, exagitari, cruciari febre, etc., juxta illud Horatii:

Cum latus, ut renes morbo tentantur acuto,

id est periclitantur, cruciantur. Triplex ergo est tentator et tentatio: demon enim tentat hominem, ut ad peccatum allicit; Deus tentat, ut hominis animum, fidem et virtutem probet; mors tentat, ut occidat et perire faciat: unde a *perire* dictum est *periculum*. « Tentatio mortis » ergo est plaga mortifera Core cum sociis, et Hebræis murmurantibus a Deo immissa.

COMMOTIO: — grece *έξπαισι*, id est *confectio*, concussio, quassatio, quo nomine plagam hæc vocat Septuaginta *Numer.* xvi, et *Psal.* cv, 36, ita vocat plaga immisa in populum ob cultum Beelphegor, quem zelo occidentes principum dudumque sceleris, sedavit Phinees, *Numer.* xxv, 1.

21. PROFERS ENIM HOMO SINE QUERELA DEPRICARI PRO POPULO, PROFERS RESISTENS SUO SCUTUM, ORATIONEM, ET PER INCENSUM DEPRECATIONEM ALLEGANS RESTITIT IRE, ET FINEM IMPOSUIT NECESSITATI, OSTENDENS QUONIAM TUIS EST FAMILIUS. — Narrat modum, quo prohibita est plaga, scilicet quod Aaron pontifex jussu Moysi orando, et thymama offerendo restitit ira Dei, plagamque ignis stitit, ne plures afflaret. *Homo sine querela*, grece *ἀμαρτία*: id est irreprehensibilis, puta scilicet Aaron inculpate vivebat, et sancte pontificis munus obibat. *Deprecari pro populo*, grece *παραίτης*, id est propugnare, sicut legunt nonnulli codices Latini. Porro arma pontificis sunt, non gladii et bombardæ, sed oratio et thymama, ut sequitur: hisce enim pugnat pro populo contra iram et vindictam Dei eamque xpungat. *Profers servitutis* (grece *λατρία*, id est *liturgia*, sive publici sui et sacerdotalis ministerii) *scutum*, puta orationem; nam *λατρία*, est *publicus*, *εργα*, quæ: unde *λατρία* est *λατρεία*, id est *publicus minister*, publicum obiens opus, puta sacerdos sacrificans pro toto populo.

ET PER INCENSUM DEPRECATIONEM ALLEGANS RESTITIT IRE, ET FINEM IMPOSUIT NECESSITATI, OSTENDENS QUONIAM TUIS EST FAMILIUS. — Perperam nonnulli legunt *allegans*. « Allegans, » grece *αλληλων*, id est *adversans*, afferens, offerens et mittens ad Deum, grece est, et thymamatis propitiationem vel placationem offerens; hinc petita est prisca thuribuli benedictio, que habetur in veteri ordine Romano: sic enim

habet: « Domine Deus, qui dum filios Israel in deserto murrantibus, ob rebellem suam audaciam, durum vastare incendium, Aaron accipitorem tunc orantem, arrepto de igne altaris thuribulo sibi incensum ponentem exaudire, eosque de incendio liberare dignatus es, benedic quoniam hos thuribulum, et praesta, ut quoties tunc in eo adolebit, votum populi tui tibi boni odoris efficias, sicut fuga demonum, repulsio phantasmatum, et immundarum abscessio cogitationum. Per Dominum, » etc. *Restitit ira Dei*, graece *ἠρίστην θυμῶν*, id est *ex adverso stetit*, contendit, opposuit se *ira Dei*, eamque expugnavit et cohibuit; talis ergo sit sacerdos, tantaeque virtutis et meriti, ut *ira Dei* in populum grassanti, sese in medium interponere et opponere, eamque cohibere valeat. *Finem imposuit necessitati*, graece *ἔπαυσεν τὴν ἀνάγκην*, id est *calamitati et plage incendii*: sic *Noe* *Yechi*. XLIV, 17: « In tempore iracundiae factus est ra onellatio, » quia scilicet sua sanctitate et oratione stilit diluvium toti orbi immissum: sic S. Leo Atiliam flagellum Dei ab Italia suis meritis avertit; S. Gregorius pestem acerrimam suis Iltanici sedavit; S. Sylvester infidelitatem et persecutiones decem imperatorum compevit, dum Constantinum Magnam sanavit, convertit et baptizavit. Vide qua ratione Moyses restitit *ira Dei*, volens perdere Hebraeos ob adoratam vitulum aureum, *Ezod*. XXXII, 10 et sequentibus. Ex adverso de falsis prophetis graviter queritur Deus per Ezechielem, cap. xiii, 5, dicens: « Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in praefio in die Domini: » vide ibi dicta. Praeclare S. Gregorius Nazianzenus, *orat*. I, sacerdotis dignitatem describens: « Quis est, inquit, qui cum angelis stilit, cum archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdote dignetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo optineat aget, et ut id quod majus est, dicam, deus erit, aliosque deos efficiet? »

22. VICIT AUTEM TERRAS, NON IN VIRTUTE CORPORIS, NEE ARTEUTRE POTENTIA, SED VERBO ILLUM, QUI SE VEXABAT, SUBJECTI, JURAMENTA PARENTUM, ET TESTAMENTUM COMMEMORANS: — graece, *vicit autem vastatorem, non virtus corporis, nec armorum effroica, sed verbo parentum subjecti, juramenta patrum et testamenta commemorans*. Pro turbas Noether cum Romanis legit *epica*, id est *turbam*, vel *turbas*; jam Complutenses Regii et Vaticani legunt *dehinc*, id est *vexatorem*, ut omnes legunt vers. 23. *Primo ergo pro turbam*, vel *turbas* accipis turbationem et tumultum populi, sive multitudine murrantibus contra Moysen ob stragem Core, Dathan, Abiron, ac 14700 et plebe combustorum, q. d. Aaron sedavit hunc tumultum populi robore, non corporis, nec armorum, sed orationis, quae Deum flexit ad amovendum ignem et incendium, ob quod murrabat et turbas

moverat populus: addit Cantacuzenus, Aaronem gravi oratione habita ad populum, ejus tumultum compevisse. *Secundo, per turbas accipis plagam ignis*, quae turbabat populum, hanc enim vi orationis repressit Aaron. *Tertio, per turbas accipias angelum turbantem*, id est punientem eum; unde Graeci habent *dehinc*, id est *vastatorem*; et hunc mox exprimit subdens, *cum qui se vexabat*, q. d. Aaron suo *ira*, id est *sermone*, quem orando ex infimo cordis affectu ad Deum effudit, cohibuit angelum vastationem et plagam ignis, quae se, id est populum suum vexabat et puniebat: graece enim est *κατάρα*, id est *punientem*: sic Jacob, *Genes*. XXXII, 28, luctans cum angelo, lacrymis et oratione eum flexit et vicit, indeque dicitur est Israel, id est *dominans Deo*, id est angelo Dei vicario. Fieri etiam potest, ut Aaron ardeat fidei animose se converterit ad angelum, ipsamque ignem, eique nomine Dei imperavit, ut cessaret a plaga, sicut S. Michael alterans eum demone de corpore Moysis, imperavit ei silentium dicens, ut ait Judas *Epist*. I, 9: « Imperet tibi Dominus. » Hic angelus vel fuit bonus, sicut enim Deus per bonos exsequi sua jussa tam tunc vindictam, quam gratiae et beneficentiae, ut patet passim ex *Izai*, *Zacharia* et *Apocalypsi*, praesertim cap. v et xvi, vel potius fuit malus et demon, tum quia vocatur *vastator*, *vexator*, *exterminator*, quem Aaron devicit, sibi que subjecti; tum quia versu ultimo dicitur extimuisse Aaronem sacerdotem; tum quia Deus demonibus quasi licetioribus crebro utitur ad puniendum impios, potius quam angelis bonis, juxta illud *Psalm*. LXXVII, 49: « Immissiones per angelos malos. »

Moraliter hic discere aaron sacerdotis esse orationem et sacrificium, eaque validissima; undc Moyses vicit Amalec, *Ezod*. XVII: quocirca Paulus militem christianum panoplia, id est cum armatura a capite ad talos obtinans, « Galeam, inquit, salutis assumite, et gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem et observationem orantes omni tempore in spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia, et observatione pro omnibus sanctis et pro me, ut deatur mihi sermo in aperitione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium evangelii, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audiam, prout oportet me loqui. » Sic S. Ambrosius tract. *De Basilicis non tradendis*, assertit sua et sacerdotis arma contra milites invadentes, esse preces cum lacrymis; et S. Ephrem, *serm*. *De Panoplia spiritus*, orationem vocat *armam*, quae sagittas ignitorum desideriorum ad Deum emittimus, quibus hostes confingimus. Unde Origenes, *hzer*. II in *Ezod*, ubi orationi adaptat id quod fides de Hebraeis dixit, juxta Septuaginta, cap. xxi, vers. 4: « Nunc ablinget Synagoga haec omnes, qui in circuitu nostro, sicut ablinget vitulus virentia de campo, » ita ut *ablingete* denotet orationem

lingua formatam, per quod, ait ille, ut a majoribus vixat, indicatur populum Dei non tam manu et armis, quam voce et lingua pugnare, id est orationem ad Deum fundendo. Huc facit illud *Psalm*. XIX, 8: « Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus, » q. d. Nostri equites, nostri faleati currus, nostra arma sunt invocationes Dei, ac preces, quas velut ignita tela in hostes intorquebimus. Nil ita demones vincit aequae ac tantationes, atque oratio; unde S. Cyprianus, *epist*. 57: « Incurbamus, ait, gemitibus assiduis et deprecationibus crebris: haec sunt enim nobis arma caelestia, quae stare et perseverare forlifer faciunt; haec sunt munimenta spiritalia, et tela divina, quae protegunt. » Est ipsa quasi armamentarium Ecclesiae, ad quam accurrunt celeriter justi, cum volent adversus vitia et peccata pugnare: imo est velut generalis quedam officina, in qua vita spiritalis invenit quicquid ad se conservandam, et augendam, et tuendam opus habet, » ita noster Lorinus: quocirca Cassianus, *Coll*. IV, cap. 1: « Omnis, ait, mensuri suis, cordisque perfectio ad jugem atque indurpantem orationis perseverantiam tendit, et quantum humane fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam ailiatur paugulitatem. » Denique *oratio est oris ratio*, ait S. Hieronymus, *epist*. 139 ad *Cyprianum*, quia ratio per oris sermonem se prodit, multo magis per orationem ad Deum fasum: oratio enim homini a Deo pro ratione data est, quia quod ratio peccato obscurata non assequitur, hoc oratio ad Deum fusa manescit.

ILLUM, QUI SE VEXABAT SUBJECTI, JURAMENTA PARENTUM, ET TESTAMENTUM COMMEMORANS. — *Ilum qui se vexabat*, graece *ὁ καταράων*, id est *punientem, torquentem, castigantem, puta ignem, vel potius angelum per ignem, se, id est illos, puta Hebraeos*; vel se, id est eum populum, cujus plagam infimo cordis dolore per compassionem sentiebat, sibi que arrogabat Aaron pontifex, aequae ac Paulus, dicens *II Corinth*. XI, 29: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? »

Juramenta parentum, et testamentum (graece *ἐπιθήκων*, id est *pacem*) commemorans, q. d. Aaron orans Deum venia allegavit pacta a Deo cum patribus, Abraham, Isaac et Jacob inita, quibus Deus promiserat se fore eorum ac posterorum Deum, protectorem, liberatorem, provisorem, etc., strinxit ergo Deum sui ipsius pacis et juramentis, quibus eum vicit, et veniam populo impetravit.

23. CUM ENIM JAM ACERVATIM CECIDISSENT SUPER ALTEARIUM MORTUI, INTERSTITI, ET AMPUTAVIT IMPETUM, ET DIVISIT ILLAM, QUAE AD VIVOS DUCERAT VIAM: — graece, *acervatim enim jam mortuis jacentibus altis super altis, in medio stans praecidit tram, et interruptit ad vivos viam*: sensus patet,

q. d. Cum incendium grassaretur in populum murrantem, Aaron interstitit, id est inter incendium et incensas ac populum reliquas: ad huc vivum, medium se stilit, atque orando illud inhibuit, ne illerius in populum proserperet, itaque « divisit (perperam nonnulli legunt *dimisit*) illam, quae ad vivos ducebat, viam, » q. d. Interclusit igni viam, ne a succensis et mortuis ad vivos progrediretur: stilit ergo se medium inter vivos et mortuos, ut vivos ab igne et incensis dispiceret, eosque illosos et intactos conservaret; unde S. Hieronymus in *Ezech*. cap. xiii, ait Aaronem adversus ignem Israeli populum devorantem occurrisse, et stitisse medium, et opposuisse se murum pro salute populi. Allegarice, Aaron hic expressus fuit typus Christi mediatoris: audi S. Ambrosius, *epist*. ad *Felicem Comensensem Episcopum*, quae in editione Romana ordiae est 60: « Ubi Christus, inquit, ibi omnia: ibi doctrina ejus, ibi peccatorum remissio, ibi gratia, ibi separatio mortuorum ac viventium; et Aaron quidem semel stetit in medio eorum obiciens se, ne mors transiret ad viventium agmina a funebus mortuorum. Hic autem quasi verbum semper stat in singulis, quoniam nos non videmus intra nos, separans rationabiles virtutes a cadaveribus passionum lethaliu et pestilentium cogitationum. Hic stat quasi qui in hunc mundum venerit, ut aculeum mortis hebretaret, devoratorum ejus abstrueret, viventibus aeternalem gratiae daret, defunctis resurrectionem concederet. » etc. Hinc Christus in cruce medius inter caelum et terram pependit, et sequae intermedium stilit, ut velut mediator caelum terre, id est homines Deo et angelis reconciliaret, utque sagittas *ira Dei* vibratas in homines in seipso reciperet, ne ad homines perveniret, sed unus ipse omnium hominum scelerum in corpore suo laerent; ac vicissim in cruce, velut in arca brachia corporis, aequae ac cordis expandens, ignitas orationis et amoris sagittas ad Deum ejacularetur, quibus cor ejus vinceretur, et gratiam hominibus largiret.

24. IN VESTE ENIM FODERIS, QUAM HABERAT, TOTUS ERAT ORDIS TERRARUM: ET PARENTUM MAGNALIA IN QUATUOR ORDINIBUS LAPIDUM ERANT SCULPTA, ET MAGNIFICENTIA TUA IN DIADEMATE CAPITIS ILLIUS SCULPTA ERAT: — graece, *in talarum enim tunica vestimenti erat totus mundus, et patrum gloria in quadruplicis ordinis lapidum sculptura, et majestas tua in diademate capituli illius*; Syrus, quoniam vestis ejus est totus populus, et honor patrum erat insculptus super quatuor ordinibus lapidum, qui erant super humeros ejus (vel et gloria patrum super colum ejus) et aeterna majestatis tuae super caput ejus; Arabicus quoniam totus orbis terrarum super flexis vestimentum insculpti. Pro orbis terrarum, graece est, *κόσμος*, id est *oratus, et orbis sive mundus*, qui ab oratu nomen accepit: nec enim solam terram, sed et

totum mundum veste sua representabat pontifex. Minus apud Vatablus verit, *signatam omnigenus ornatu tunica qua induebatur inerat*: dat enim causam, cur Aaron pontifex medium se stiterit inter vivos et mortuos, curque Deus ab eo permiserit se exoriri, ut plagam incendii sisteret. Causa erat, quod Deus Aaronem constitueret pontificem, id est mediatorem et deprecatorem inter se et populum, ut scilicet ipse iram Dei sisteret, populamque Deo reconciliaret; atque, ut hoc visibili populo significaret, iusserat in podere, id est in veste ejus pontificia, poni symbola omnium elementorum, lotiusque orbis, ut meminisset se esse mediatorem inter Deum et mundum. Rursum iusserat ut in rationali gestaret duodecim gemmas, eisque sigillatim insculpi curaret nomina duodecim tribuum Israel, ut hoc signo moneretur se omnes tribus in pectore, id est in corde et cura gestare, ac pro eis assidue Deum deprecari debere.

Ponderis: — est vestis talaris usque ad pedes et talos dimissa, eratque pontifici duplex, una linea communis omnibus sacerdotibus, altera hyacinthina propria pontifici, illaque hic intelligitur, ac per eam ceterae omnes vestes pontificiae. Est synecdoche: ita S. Bonaventura, Hugo, Holcot, et Dionysius. Dicitur *poderis*, ἀπὸ τοῦ ποδὸς καὶ ἄνω, q. d. *pedi adaptata*, eo quod usque ad pedes profunderetur.

Queres, quomodo in podere, id est veste pontificis representabatur totus orbis?

Respondetur, poderis haec erat tunica texta ex lana hyacinthina, sive violacei coloris, ut pontifex vestem suam inspiciens, illa moneretur cogitationem et vitam suam debere esse caelestem; hinc in fimbria habebat 72 tintinnabula, et totidem mala punica alternis inserta. Rursum tunica huic imponebatur ephod, cui ad pectus annexum erat rationale, in quo erant duodecim gemmae, quibus inscripta erant nomina duodecim tribuum Israel. Porro quinque primariæ erant vestes pontificis, primo enim induebatur femoralibus lineis; secundo, tunica linea, quam zona succingebat; tertio, tunica hyacinthina cum simili zona; quarto, ephod cum rationali, urim et thummim, id est doctrina et veritas; quinto, tiara, cui affixa erat lamina aurea inscriptum habens: « Sanctitas Jehova. » Haec representabant totum orbem.

Nam primo, femoralia linea figurabant terram, ex qua linum nascitur. Secundo, zona figurabat oceanum, qui quasi zona terram cingit. Tertio, tunica hyacinthina figurabat aerem, in qua sunt mala punica, id est fulgura: et tintinnabula, id est tonitrua. Quarto, ephod varium figurabat caelum sidereum: duo in ephod lapides onychini erant duo hemisphaeria, vel sol et luna; duodecim gemmae in pectore, erant duodecim signa in zodiaca. Quinto, tiara figurabat caelum empyreum; lamina tiaræ aurea habens inscriptum nomen tetragrammaton, figurabat Deum omnibus

presidentem; idque primo, ut hoc suo vestitu et ornato pontifex ostenderet, se creatoris mundi esse ministrum, et indicaret omnem cœtum Dei misericordiam indigere, ipsaque pro ea tam habitu et veste, quam voce et mente precaretur; secundo, ut considerata universi, quam gestat, imagine, vitam præstaret a natura non degenerem; sed sicut elementa atque creata Deo per omnia obediunt, ita obediret et ipse, ita Philo tertio, ut operando sacris totum mundum, quem in veste quasi gestabat, deprecatores secum apud Deum allegaret. Hæc omnia pene ex Josepho et Philone habet S. Hieronymus, et brevissime S. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 5, ad 9, qui et tropologiam addit pari brevitate: *Femoralia*, inquit, significant castitatem; *tunica linea* significat vite universæ puritatem et innocentiam; *zona*, moderationem discretionis; *tiara*, rectam intentionem: et hæc communia sunt omnibus sacerdotibus. Pontifici vero primo, propria erat lamina aurea cum nomine Jehova, significans jugem Dei memoriam in contemplatione, quam debet habere pontifex; secundo, ephod, id est compassio, qua suis quasi humeris ferat infirmitates populi; tertio, tunica hyacinthina, id est conversatio caelestis; quarto, rationale, id est cura et charitatis viscera erga subditos: ubi nota, totus mundus est quasi templum quoddam sanctissimum, et Deo dignum, ut aiebat Diongenes, et Philo, II *De Monarch.*, et Lactantius lib. *De Vita Dei*, cap. XIV. Hinc et Baruch ait cap. III, 24: « O Israel, quam magna est domus Dei! » scilicet hic mundus, in quo quasi divini templi antistes sacerdotio functurus pro universis creaturis, homo est constitutus: ideoque Hebræorum pontifex in sua veste totum representabat orbem. Pontifex ergo erat quasi legatus totius orbis ad Deum, juxta illud Pauli II *Corinth.* VI, 20: « Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo. » Quin et Philo loco citato asserit, ideoque pontificem totius mundi potasse in vestibus imaginem, ut sciret se mundi totius esse mediatorem apud Deum, et orare debere, non pro necessariis tantum et amicis, sed pro toto humano genere, pro omnibus naturæ partibus, cœlo atque elementis, atque gratias agere, supplicationesque pro omnibus offerre omnium conditori: præterea vita, doctrina, virtutibus in seipso exprimere universi ordinem, ornatum, concentum, ut sit *maximè*, majoris ita mundi representans in moribus imaginem, sicut gestat in vestibus. « Hoc cultu, inquit Philo, pontifex utitur totum mundum referens ornato mirando, vel menti vel oculis: admonet enim pontificem, ut considerata universa, quam gestat imagine, vitam præstet a natura non degenerem; deinde, ut operando sacris totum mundum deprecatores alleget: decet enim ut patris sacerdos, filium ejus *in* hunc ad preces vota que adhibeat. »

Idem Philo libro *De Somniis*, censet ideoque pontificem in veste gestare similitudinem cœli ac mundi, ut mundus una cum sacerdote operetur, et homo cum hac rerum universitate efficacius vota et sacra faciat: vide dicta *Exod.* XXVIII, 4, ubi hæc vestes fusi ad litteram allegorice et tropologice expliciunt.

Tropologice sacerdos vestire se debet orbe vestium, id est orbe virtutum, ut universis sit ornatus, hæcque earum circulo velut corona cingatur et coronetur, ut paulo ante dixi; hinc sacerdos et religiosus intuens habitum suum pullum, tonsuram ac vestes sacras, ab his sentiat se moneri, ut gravitatem, lucum, opum contemptum, caelestium desiderium, omnemque morum compositionem exhibeat. Hinc Noster Alvarez de Paz, *De Vita spirit.* lib. I, part. III, cap. XXVI: In veste Aaron, inquit, totus erat orbis ferrarum, quia vir per religiosum solum Deo consecratus, debet quod ad conversationem externam attinet, omnibus, prout fuerit possibile, se accommodare, ut omnes ad Christum trahat, et ad virtutis amorem invitet. Se vestitus erit discoloribus, hoc est veste quadam, que una cum sit, multarum virtutum necessitatem supplet, et earum diversas pulchritudines defert. Sic ad exemplum Pauli omnibus omnia factus est, non mentientis actu (ut inquit Anselmus), sed compatientis affectu: non mala aliorum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tanquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurando.

PARENTUM MAGNALIA IN QUATOR ORDINIBUS LAPIDUM ERANT SCULPTA: — græce, πατέρας δέξαι ἐν τετραστίγων ἰδιον γινώσκω, hoc est, *patrum gloria*, sive *decora in quatuor ordinum lapidum sculptura*. In rationali judicii erant quatuor ordines lapidum: in primo versu sardius, topazius, smaragdus; in secundo carbunculus, sapphirus, jaspis; in tertio ligurius, achates, amethystus; in quarto chrysolithus, onychinus, berillus: omnes inclusi auro, et habentes nomina filiorum Israel, sed duodecim tribuum. Pro *magnalia*, græco est δέξαι, id est *gloria*, excellentiæ, victoriæ, trophæa, nobilitatis insignia, stemmata parentum, de quibus filii et posterii jure gloriabantur. Signa ergo sacra et hieroglyphica Hebræorum insculpta erant in singulis lapidibus rationalis, non vero litteræ nominum patriarcharum, sive tribuum fuerant exarata, inquit nosse Hieronymus Pradus, in initio *Comment. in Esch.*: stemma enim Juda erat leo, Benjamin lupus, Dan coluber, Joseph bos, etc., que eis assignavit Jacob pater in morte singulis benedicens, *Genes.* XLVI, 8. Verum *Exod.* XXVIII, 21, ostendi non stemmata, sed nomina ipsa tribuum gemmis fuisse insculpta, idque hoc fine, ut pontifex ipso habitu et nominibus ostenderet se esse legatum duodecim tribuum, id est totius populi, ac pro eo velut mediator apud Deum intercedere et supplicare. Hæc ergo nomina vocantur δέξαι,

quia magnificæ magnificis gemmis insculpta erant in veste, puta in rationali summi pontificis, quæ magna erat eorum gloria, laus et decus.

MAGNIFICENTIA TUA IN DIADEMATE CAPITIS ILLIUS SCULPTA ERAT. — Vatablus, *majestasque tua in diademate capitis ipsius*; Syrus *vel corona majestatis super caput ejus*: tiara enim erat rotunda instar coronæ, q. d. Pontifex in capite gestabat tiam cum lamina aurea, cui inscriptum erat *sanctitas Jehova*, ut meminisset se Dei divinitusque majestatis esse pontificem, ac ejus sanctitatem vita et verbo debere representare. Symbolice, tiara hæc cum lamina referebat caelum empyreum, cui præsidet Deus, ex eoque omnia subjecta sapienter et sancte moderatur; quo rursum significabatur pontificis, velut Dei in terra vicarii, dignitatem et potestatem superare omnem dignitatem hominum, edam regum et imperatorum: vide dicta *Exod.* XXVIII, 4.

25. HIS AUTEM CESSIT QUI EXTERMINABAT, ET HEC EXTINUIT. — Non ignis, ut vult Lyranus: *extinuit enim, id est ignis*, est neutrius generis, *extinuit* vero, id est *exterminator*, masculini; sed angelus incendium in murmurantes Hebræos immittens, sive bonus is fuerit, sive potius malus, ut censent Hugo et Holcot: hic enim nomen Dei *tetragrammaton* et ineffabile, puta *Jehova*, lamina aurea insculptum, ac tantum pontificis majestatem, potestatem, orationem et purificationem reverentis, esset, et ab incendio plagaque cessavit. Reveritus ergo est ille exterminator ineffabile nomen, cui universa se prosternit natura, cessit sacerdoti summo deprecanti, et mundum universum deprecatores alleganti, ac merita gloriamque patrum ante Dominum proponenti, ut miseretur: ita a Castro. Sic sæpe in Scripturis timor sumitur pro reverentia, et *timere pro revereri* non vere reverentia non est aliud quam religiosus timor. Sic Alexander Magnus iratus Judæis, cum ei obviam prodiret Jaddus pontifex pontificibus indutus, tanta majestate quasi cœlesti telo ictus, ac sacro horrore percussus et perculsus, eum reveritus, iram in benevolentiam vertit, uti narrat Josephus lib. XI *Antiquit.* cap. VIII: idem fecit Attila Leoni pontifici, ut habet *Vita S. Leonis*, vide Baronium anno Christi 432. Codex Vaticanus et alii legunt *extinuerunt*, quasi plures fuerint angeli vastatores.

ERAT ENIM TENTATIO IRE SUFFICIENTIS. — Pro *tentatio*, græce non est *πειρασμός*, id est *tentatio*, sed *πειρα*, id est *experientia* iree sufficiebat ad correctionem, q. d. Satis erat Hebræis, quod experti essent tuam iram, ut qui plagæ et incendio supererant, se corrigenti, et de murmure suo pœniterent. *Tentatio* ergo hic idem est quod *tentamentum*, experimentum, periculum, aggressio, invasio: hæc enim omnia significat *πειρα*, q. d. Sufficiebat Hebræis periculum foisse, et expertos esse aggressionem ira divina: mox enim illi cesserunt et pœniterunt; unde noluerunt eja

vim ulterius experiri, nec ejus imperium usque ad intercessionem deservientius amplius sentire. Quare perperam Tyrannus contrarie explicat, *q. d.* Tentatio scditionis populi sufficiens erat ad totum eum igne perdendum, nisi Aaron supplex inter-

cessisset; et Hugo, *q. d.* Plaga ignis sufficiebat ad delendum Hebræos; et Holcot, *q. d.* Timor et pavor inossus populo per plagam ignis, satis erat ad delendum murmuris crimen: hæc enim omnia hoc loco parerga sunt.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in antithesi fidelium Hebræorum et infidelium Egyptiorum; unde multa supplicia Egyptiis inflata, ac præsertim submersionem in Mari Rubro recenset, usque opponit varia beneficia Hebræis collata, tum in Egypto, tum in deserto. Unde colligit, Deo elementa omnia servire, tam ad puniendum impios, quam ad promovendum ipsos, cetera ad nutum obedire, ac tandem pro omnibus gratias agens liberum enucleat.

1. Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim et futura illorum: 2. quoniam cum ipsi permisissent ut se educerent, et cum magna sollicitudine præmississent illos, consequentur illos penitentia acti. 3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumperunt cogitationem inscientia: et quos rogantes proiecerant, hos tanquam fugitivos persequebantur: 4. duebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: et horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, ut quæ decerant tormentis, repleter punitio: 5. et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent. 6. Omnis enim creatura ad unum genus ab initio refiguratur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur in Jasi. 7. Nam nubes castra eorum obumbrabat, et ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, et in Mari Rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio: 8. per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia et monstra. 9. Tanquam enim equi depaverunt escam, et tanquam agni exsultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos. 10. Memores enim erant adhuc escam, quæ in ioculatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra mœscas, et pro piscibus eructavit fluviis multitudinem ranarum. 11. Novissime autem viderunt novam creaturam avium, cum adducti concupiscentia postulaverunt escas copulationis. 12. In allocatione enim desiderii, ascendit illis de mari ortygoetra: et vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis, quæ ante facta erant, argumentis per vim fulminum: iuste enim patiebantur secundum suas nequitas. 13. Elenim detestabiliores inhospitalitatem instituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites a servitute redigebant. 14. Et non solum hæc, sed et alius quidam respectus illorum erat: quoniam invitè recipiebant extraneos. 15. Qui autem cum lætitia recipierent hos, qui eisdem usi erant justitiis, savissimis afflixerunt doloribus. 16. Perenssi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus justis, cum subitanis cooperiti essent tenebris, unusquisque transiitum ostii sui querebat. 17. In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, et omnia suum sonum custodiunt: unde astimari ex ipso visu certo potest. 18. Agrestia enim in aquatica convertebantur: et quæcumque erant nantantia, in terram transibant. 19. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, et aqua exsurgentis nature oblivisebatur. 20. Flammæ e contrario, corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facile dissolvebatur sicut glacies

horum escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, et non desexististi in omni tempore, et in omni loco assistens eis.

1. IMPIS AUTEM USQUE IN NOVISSIMUM SINE MISERICORDIA IRA SUPERVENIT. PRÆSCIEBAT ENIM ET FUTURA ILLORUM; — græce, impiis autem in misericordia indignatio insitit: prævidebat enim eorum et futura. Pendent hæc a fine capitis præcedentis: pergit enim in antithesi Hebræorum et Egyptiorum, *q. d.* Hebræi in seditione Coræ murmurantes igne puniti a Deo, mox resipuerunt: quare patrum strage ceteri cautiore evaserunt, sola enim tentatio, id est experientia ira sufficiens erat ad correctionem eorum: quare plaga ignis in eos non ad extremum desavit, sed tantum modice ad eorum probationem et emendationem; at vero impiis Egyptiis vindicta Dei usque ad intercessionem, sine ulla misericordia supervenit: videbat enim Deus eorum perversionem, quod scilicet essent incorrigibiles, nullisque minis vel penis mores mutaturi essent. quare ad unum omnes misit in Mari Rubro.

2. QUONIAM CUM IPSI PERMISSISSENT UT SE EDUCERENT (id est ut abirent ex Egypto), ET CUM MAGNA SOLICITUDINE PRÆMISSISSENT ILLOS, CONSEQUENTUR ILLOS PENITENTIA ACTI. — Perperam Complutenses legunt penitentia actus, etsi eodem redeat sensus: actus enim penitentia fuit Egyptiorum persecutio, ut Hebræos ad se revocarent; græce, quoniam ipsi eos permisissent abire, atque cum studio præmississent illos, penitentia ducti essent persecutori: pendet sententia a *q. d.* prævidebat, quod præcessit, *q. d.* Prævidebat Deus, quod Egypti, etsi ob eadem primogenitorum percussio permitterent, ita cogerent Hebræos exire ab Egypto, ne ob eos graviore Dei plagas sentirent, mox tamen penitentia ducti eos persequebantur, ut redirent in Egyptum, uti de facto persecuti sunt usque ad Mare Rubrum, in quo proinde Deus omnes submersit: lege Exod. xiv. 23.

3. ADHUC ENIM INTER MANUS HABENTES LUCTUM, ET DEPLORANTES AD MONUMENTA MORTUORUM, ALIAM SIBI ASSUMPERUNT COGITATIONEM INSCIENTIE, ET QUOS ROGANTES PROIECERANT, Hos TANQUAM FUGITIVOS PERSEQUEBANTUR. — *q. d.* Egypti Hebræos, quos pariter abire velut dominos cum precibus emisserant, hos, mox mutato consilio velut servos fugitivos persecuti sunt: sic sepe alibi *egere* significat emittere. Pro inscientia græce est *avocia*, id est stultitia, amenitas: stulte enim eos persecuti sunt, quia persequeundo mersi sunt in Mari Rubro; quare fuit hæc cogitatio inscientia, id est insipientis stultum et insuum Egyptiorum consilium.

4. DUEBAT AUTEM ILLOS AD HUNC FINEM DIGNA NECESSITAS: ET HORUM, QUÆ ACCIDERANT COMMEMORATIONEM AMITTEBANT, UT, QUÆ DECERANT TORMENTIS, REPLERET PUNITIO; — græce, tractat autem eos digna ad hunc finem necessitas, et eorum aux acciderant

oblivionem iniecit, ut quæ restabat tormentis admitterent penam. « Commemorationem, » id est memoriam. Pro duebat, græce est *dux*, id est traxit, *q. d.* Egyptios ad hunc exitum et exitium, puta ad submersionem in mari protraxit necessitas divina ordinationis, seu punitio in eos a Deo decreta, quæ scilicet decreverat Deus eos exaccare, ut dum insequuntur Hebræos per Mare Rubrum a Deo divisum, illius alveum ingressi, revoluti in eos aquis obruerentur: et quia priorum plagam a Moysæ Egyptiis immisissam memoria eos a persequeundo Hebræos revocare potuisset, Deus illarum oblivionem illis iniecit, ut sic impleret mensuram suæ tyrannidis suorumque scelerum, quæ impleta usque pariter replet, id est impleret eunulam penæ, omnes mergendo in mari, ac deinde in igne gehennæ: vide dicta Exod. xiv. 23.

Nota ductum et tractum necessitatis hujus, quo Egypti a Deo traherentur in suam perniciem, non fuisse naturalem, antecedentem et perfectum, hic enim opponitur libertati liberorumque arbitrio; sed moralem et consequentem, qui imitator certe Dei præsciebat, quæ Deus præsciebat, quod si ipse Hebræos poneret in arcto, puta in angustiis rupis et Maris Rubri, ut naturaliter evadere non possent, Egypti eos libere persequebantur, ut comprehenderent, etiam per Mare Rubrum: quo facto, ipsi ibidem necessario ex vi sui decreti, quo eos punire et mergere volebat, reipsa mergentur et suffocarentur. Rursus, aliqua necessitas accipi potest communita sors, conditio quadam cum illorem ingesto et natura conjuncta, ut fatalis quædam necessitas videlicet poluisset, ait Pineda, lib. VI De Rebus Salomonis, cap. xv. num. 10: hæc necessitas est ex parte rei, cujus culpa exigit justam penam, sicut prior fuit ex parte Dei, ejusque decreti ac justitiæ vindicative, quæ quasi necessario possit justam reatus vindictam, ut justitiæ satisfiat; prior ergo posteriori est correlativa, et antisporus respondet: nam culpa exigit penam a justitia, et vicissim justitia penam justam culpæ reoque infligit, ut non remaneat dedecus culpæ sine decore penæ, justæque vindictæ: hæc enim illam adæquat, et quasi obliterat.

5. ET 6. ET POPULUS QUIDEM TUUS MIRABILITER TRANSIRET (græce, *καταβήκεν διακοπὴν νεκρῶν*, id est paradoxum, inopinatum, mirabile iter, vel perfectionem transit; Valabius et alii legunt *καταβήκεν*, id est tentaret: vide dicta cap. x. vers. 17) ILLI AUTEM (Egypti scilicet) NOVAM (græce, *έξως*, id est peregrinam, novam, insolitam, mirandam) MORTEM INVENIRENT (submersionem in Mari Rubro). OMNIS ENIM CREATURA AD SUUM GENUS (id est secundum vel juxta genus suum, id est, ut græce, in genere suo) AD